



1. Joach. Hildebrandi, Dissertationes  
nes 20. Helmstedij 1672
- a. de presentia, usu, et  
scriptoribus theologiae
  - b. de constitutione et divisione  
theologiae
  - c. de authoritate S. Scripturae.
  - d. de Deo, et divinis attributis.
  - e. de S.S. trinitatis mysterio.
  - f. de morte corporis, et statu  
animae post mortem.
2. H. de creatione universi.
- i. g. de resurrectione
  - j. de Angelis.
  - k. de Imagine Dei.
  - l. de peccato originali

Refutatio  
**ERRORVM,**  
**ABSURDITATVM,**  
**MENDACIORVM, ET DEPRAVA-**  
**TIONVM, A IOANNE BVSÆO, IESVITA**  
 Moguntino, vanissimè oppositarum **STEPHANI GERLA-**  
**CHII, Doctoris & Professoris Theologi in Academia**  
 Tubingensi, Disputationi I. de Per-  
 sona Christi:

*Quam, Diuina adiutus Gratia:*

*SVB PRAESIDIO AVTORIS,*  
*PUBLICE DEFENDET,*  
*18. Augusti, loco consueto,*

M. GEORGIVS FLECKIVS, S. THEO-  
 LOGIÆ CANDIDATVS.



T V B I N G A E  
*Excudebat Georgius Gruppenbachius,*  
 ANNO M. D. XCII.

13-7



Rescriptio

ERRORVM

ABSTRACTVM

MENDACIOSVM ET DEBILVM

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

TOYMA TOYMA TOYMA TOYMA

13-3

# ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO  
LVDOVICO, DVCI VVIRTTENBERGICO  
& Teccensi: Comiti Montis Peligardi, &c. Do-  
mino suo clementif-  
simo.

**L**EGIMVS, ILLVSTRIS-SIME PRIN-  
ceps, Domine clementissime, in historia  
Alexandri Magni, inter parasitos aulicos  
quendam nomine Medium fuisse, qui cum  
esset proiectissima libidinis, quosuis, etiam  
innocentissimos, calumniandi & traducē-  
di: vanitatis suae admonitum nullam scelerati consilij ratio-  
nem inuenire potuisse, quam hanc: Audacter scilicet calu-  
mniandum. Nam si quis vulnus, quod acceperit, maximè sa-  
net: tamen cicatricem semper manere.

Hoc sanè consilium diligenter sequuntur IESVITAE,  
Antichristi Romani Parasiti & Gnathones iurati. Cum  
enim intelligant, se, firmis & solidis argumentis destitutos,  
nihil contra veritatem caelestem, & doctrinam nostram de  
persona Christi, veram, Catholicam, & Orthodoxam afferre  
posse, ad calumnias, imposturas, mendacia, & vanissima fig-  
menta, quae ex ingenijs suis vanissimis nobis affingunt, tan-  
quam vltimum suum presidium, confugiunt. Neque sanè  
infeliciter illis haec tenus hoc mentiendi propositum cessit.  
Nam cum scripta nostrorum apud illos nec venalia habeantur,  
multò minùs legantur: sic magnam defensionis spem no-  
bis praclusam sciunt, atque sic miseri homines vanitates &  
mendacia Iesuitica pro oraculis diuinis credere coguntur.

EPISTOLA

Cuius sanè rei luculentum ipse expertus sum testimoni-  
um: cum enim ante annos septendecim animi gratia accede-  
rem Academiam Ingolstadiensem, pro concione populari Ie-  
suitam in anniuersaria peregrinatione ad Saluatorem, in no-  
stram doctrinam furiosè debacchantem audiui: Apud nos  
omne bonorum operum studium prohiberi, imò ad omnia sce-  
lera & flagitia impunè precipites ruere: Nostros etiam do-  
ctores scribere & docere, cum iuxta Apostolum, ubi abundet  
delictum, ibi etiam abundet gratia & misericordia Domini,  
ideo nostris peccatis non modò offensionem Domini nobis non  
metuendam, sed eidem hac ratione materiam exercenda mi-  
sericordiae largissimam & liberalissimam suppeditari. Quem  
sanè cum finita concione alloquutus essem, ut autorem huius  
impietatis, librū, syllabam, iota unicū monstraret, aut petulā-  
tiam linguae coerceret, respondere nihil potuit quàm se hac  
eadem ex alijs societatis suae fratribus audiuisse, quæ si non ve-  
ra essent, neutiquam ab illis spargerentur. Quod sanè præ-  
clarum responsum & Iesuita (vanissimo hominum genere)  
dignissimum fuit.

Similem mentiendi libidinem prodidit Ioannes Busæus,  
Iesuita Moguntinus Præses, qui cum nihil solidi contra Af-  
sertiones D. D. Gerlachij afferre posset, in suo illo malè con-  
suto Apologetico, mendacia mendacijs cumulat, quemadmo-  
dum præcedenti Disputatione, & hac ipsa euidentissimè de-  
monstratum est, & sequentibus copiosissimè demonstrabi-  
tur.

Sed hoc ipso vanitatis Præsidi non melior est Respon-  
dens Rullius, Baccalaureus, malè, imo pessimè infor-  
matus. Nam in præfatione sua, quam præfixit Refuta-  
tioni Disputationis D. D. Gerlachij, plaustra mendaciorum &  
cumulum blasphemiarum in nos euomit homo vanissimus,  
ut cum

DEDICATORIA.

ut cum pudore omnem planè pietatem exuisse & deposuisse videatur. Hoc unicum scilicet propositum habens, ut nobis suis mendacijs vulnus infligat, quod sanè si maximè nostris responsionibus facile & sine negotio apud nostros curemus: tamen apud suos cicatrices illas mendaciorum remansuras, atq; semper aliquos futuros, qui vanitatibus illis fidem adhibeant.

Vt autem Illustrissima Tua Celsitudo videat, & simul totus orbis Christianus, quid monstri in sinu suo alant Iesuita cum suis asseclis, opera & precium me facturum spero, si vanitates & mendacia putida, blasphemiasq; horrendas in publicum produxero. Non quidem ut Baccalaureum illum malè formatum proluxa responsione dignum iudicem, sed eundem ex Italia redeuntem, & Iesuiticis vanitatibus inflatum & turgidum, sui officij admoneam si meliores merces ex Collegio suo Romano non attulerit, quàm putidas exoletas & per Dei gratiam dudum ex Germania, verbo Dei eiectas & eliminatas merces, apud alios, quàm nos, venales prostituat: aut si venditare perrexerit, ne præter expectationem suam forsitan durius excipiatur, aut cum dedecore & ignominia domum remittatur. Nam per Dei gratiam nos Germani Iesuitas, excrementa Satanae, cum suis mercibus, tanquam leones ex unguibus suis cognoscimus, fucatis & vanis illorum verbis nihil credimus, sed sub ouilla illa pelle lupos rapaces latere, imò in forma humana animum planè diabolicum circumferre certissimè nouimus.

Quòd autem nos Iudæis Christi crucifixoribus similes, imò deteriores facit: hoc ipsum de se, suisq; socijs Iesuitis, Christi hominis hostibus iuratis, & de societate Iuda, proditoribus Christi, verissimè affirmare possumus. Nam quod primum



EPISTOLA

vulnus Diuinitati Christi inflictum nugatur, dum verè  
 & Catholicè credimus, Christum non tantum ut homi-  
 nem, sed etiam ut DEVM, atque sic totum Christum De-  
 um & hominem, in una persona subsistentem, pro nobis ora-  
 re, intercedere, & patri suo cœlesti obedire. Nullum hîc vul-  
 nus diuinitati illatum cernimus, sed Rullium cum suis fra-  
 tribus Nestorianis in Diuinitatem Christi blasphemum des-  
 prendimus, dum videlicet Deitatem in opere redemptio-  
 nis, intercessionis, & obedientiæ ab humanitate sacrilegè cum  
 Nestorio separet: cum tamen Catholicè credere debebat,  
 Christum totum Deum & hominem in officio mediationis  
 versari. Nam si preces, intercessio, obedientia nudi & solius  
 hominis ad placandam iram diuinam sufficere potuisset, tum  
 filius Dei frustra homo factus, & in hunc mundum natus  
 esset.

Quod autem obiicit: ergo cum Arianis redigitur filius  
 Dei in ordinem creaturarum. Acumen Baccalaureo formato  
 dignum. Verbū caro factum: Filius Dei homo natus est. Ergo  
 in creaturarum ordinem redigitur. Hæc natiuitas, ita etiam  
 intercessio, obedientia voluntaria est, & sine filij Dei inter-  
 cessione, obedientia apud Deum locum habere non potuisset.  
 Cum enim ira Domini sit ignis consumens, nullius homi-  
 nis obedientia, intercessio apud Domini Maiestatem sufficere  
 potuisset: sed instar stipularum, omnes conatus humani  
 dissipati & consumti fuissent: Filius igitur Dei patri suo  
 cœlesti obediens factus est, vsq; ad mortem, & quidem mor-  
 tem Crucis. Verus igitur vates fuit Lutherus, cum scribit:  
 Es quis nouit, quot Nestoriani adhuc in Papatu sint, qui  
 concilium Ephesinum summè commendant, nec tamen,  
 quid commendent, intelligunt. Ratio enim humana hîc  
 vult

In libro de Con-  
 cilijs & Ecclesia.



DEDICATORIA.

vult videre, sapere, nec ferre potest: Deum esse passum, aut ce  
cum homine VNAM ESSE, quamuis ex consuetudine cre- ce  
dat, CHRISTVM DEVM esse, sicut Nestorius.

Secundò scribit Rullius, D. D. Gerlachium asserere, Hu- ce  
manitatem propter Vnionem toto genere discrepare à natu- ce  
ris aliorum hominum, atq; proinde naturales proprietates ce  
non amplius retinere, sed in Diuinitatem conuersam esse. ce  
Et iuxta Lutheri sententiam, humanitatem Christi extra  
creaturas, tam longè esse, quàm Deus. Exclamat homo vanus,  
quid ergo aliud est, quàm Deus, quis vnquam audiuit, Christi  
Humanitatem esse Deum?

Sed D. D. Gerlachius probauit, quamuis patres Ortho-  
doxi firmiter concludant, naturam humanam & diuinam  
minimè inter se confusas & permixtas esse, sed suas proprie-  
tates integras & distinctas retinere, simul tamen docere,  
Natura humanae IN VNIONE & propter VNIO-  
NEM cum Deo Verbo longè diuersissimam, & toto genere  
à communi & naturali conditione differentem rationem  
accessisse, quàm si in persona Verbi cum natura diuina  
non conuenisset, &c. Vbi sanè impudentia Rullij cerni-  
tur, qui, quæ de carne Christi in Vnionem considerata scribun-  
tur, ea ad Humanitatem extra Vnionem respectu sui ipsius  
consideratam malitiosè detorquet.

Quemadmodum non minùs malitiosè fingit, D. Ger-  
lachium humanitatem vnã ex personis S. Trinitatis con-  
stitueret: cum tamen apertissimis verbis scribat: Humanitatem  
à consortio Trinitatis non esse excludendam. Non quòd ratio-  
ne Ef-

EPISTOLA

ne Essentia ad Trinitatem pertineat, & personis Diuinitatis  
 equalis sit, sed quia personaliter extra secundam personam  
 Trinitatis non subsistat, atq; hac ratione à Trinitate excludi  
 non possit. Suffragante etiam Cyrillo lib. 12. Thesaur: cap. 15.  
 cum inquit: Conditio & proprietates alia creatura, alia Crea-  
 tori inest, sed Natura nostra, à filio Dei assumpta, mensuram  
 suam excessit, & in conditionem assumentis eam per gratiam  
 translata est. Purum igitur & putum Iesuiticum & Rullia-  
 num mendacium est: Nos unum hominem in Trinitate, &  
 Trinitatem in dualitate Naturarum venerari. Quod nemo  
 nostrum ne per febrim quidem somniauit, sed firmiter credi-  
 mus, Christum, licet Deus sit & Homo, non duos, sed unum  
 tantum esse Christum, unum non conuersione diuinitatis in  
 carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnum non  
 Confusione Substantiae, sed unitate personae, &c. Ex quibus  
 sanè apparet, Rudentem illum Rullium tot habere mendacia  
 & calumnias, quot verba.

Ad tertium Rullianum figmentum quod attinet, scri-  
 bit: Nos velle duas Naturas, realiter coniunctas, Christi per-  
 sonam esse & constituere. Et dum realem illam Vnionem na-  
 turarum in persona Christi credimus, nos lateri, hoc est, perso-  
 nae Christi vulnus infligere. Nam sicut duae manus in medio  
 corpore, sic duae Naturae in persona Christi copulantur. Ex  
 quibus verbis apparet. 1. Rullium Vnionem naturarum rea-  
 lem in persona Christi prorsus negare: quod sanè Busaeus Prae-  
 ses immeritò & falsò Iesuitis à nostris adscribi contendit.  
 Sed si crederent realem Vnionem naturarum, nequaquam  
 latus Christi hac ipsa vulnerari, sed potius integritatem per-  
 sonae asseri statuerent. Praeterea blasphemiam sui praesidis con-  
 firmat, qui scribit. Personam Christi non constitui ex duab. Na-  
 turis.

Thef. 28.

DEDICATORIA,

turis. Nec humanam Naturam ad personam Christi, eiusq; integritatem pertinere. Quid autem Diabolus sub hac blasphemia occultet, videat æquus lector Assertiones D. Gerlachij, cap. 3. fol. 47. & sequentibus. Nos igitur verè & Catholicè credimus duas naturas in persona Christi realiter unitas, qui hoc negat, illum non Christianum, sed Iesuitarum socium & Nestorij progeniem esse constanter affirmamus. Quòd autem totus Christus pro nobis passus, ad inferos etiam descenderit, rationes à Lutherò & Formula Concordiæ allatas, firmissimas ex verbo Dei habemus, quas si impugnaverit Rullius, & rationibus solidis nobiscum egerit, paratos habebit respondentes.

Quartum vulnus pedi dextro inflictum dicit, dum statuamus, Naturas in Christo non esse unitas in sola subsistentia, quæ est proprietas personæ, sed etiam Deitatem communikatam esse. Hoc piè & Catholicè statuimus. Quòd autem infert: Omnes veteres Synodos definiuisse Vnionem secundum Subsistentiam, & non secundum Essentiam. Ad prius respondit D. Gerlachius, Patres per Vnionem secundum subsistentiam non hoc voluisse, quòd humana natura tantum subsistat in persona Verbi, & subsistentiæ tantum causa à λογῶ assumpta sit, cum extra Vnionem cum verbo propriam habere potuisset, sed quia filius Dei IN assumpta & PER assumptam Naturam opus redemptionis perficere voluit, necesse fuisse eam non tantum in unitatem subsistentiæ, sed etiam communionem diuinæ Naturæ peruenire. Quandoquidem solus homo, sine virtute huius, infinitæ iustitiæ diuinæ, agendo & patiendo satisfacere, nec mortem, Diabolum, & infernum superare & destruere potuisset.

) (

Quod

## EPISTOLA

Quod autem subijcit: Si Unio est secundum subsistentiam & Essentiam: ergo una est earundem Naturarum Essentia & natura. Negamus. Nam nos Unionem naturarum non dicimus esse essentialem, sed personalem.

» Quintum & ultimū vulnus Christo inflictū à nobis esse  
» dicit, quia dicamus, proprietates diuinitatis realiter commu-  
» nicatas humanitati, & contra, humanitatis propria diuini-  
» tati. Ergo sequitur: Humanitatem increatam, infinitam,  
» eternam, impassibilem: & Diuinitatem natam, passam, mor-  
» tuam, &c Ad hanc obiectionem copiosè responsum Busæo in  
» Assertionis capite 5. fol. 200. diuinorum attributorum non  
» eandem & parem esse rationem, ita nec eundem communica-  
» tionis modum: quò sanè Rullium remitto, ne modum præ-  
» fationis excedam, & lectori repetitione illa molestus sim.  
» Item ad Thesin nostram. 172. & sequentes.

Ex quibus sanè luce meridiana clariùs apparet, quo spir-  
» ritu Iesuitæ ducantur & agantur, mendacijs scilicet, Medijs  
» etiã consiliū feliciter sequentes. Nam cum nihil verisimiliter ad  
» euerisionem causæ nostræ adferre possint, ad manifesta menda-  
» cia & calumnias confugiunt, atq; hac ratione veritatem, si  
» non omnino tollere, saltem tamen suspectam reddere apud  
» suos conantur.

Sed quia hanc ipsam Disputationem pro consequendo  
» summo in Theologia honore, ex decreto Amplissima facul-  
» tatis Theologica, ad periclitandum studiorum meorum pro-  
» fectum, defendendam sumsi, scio sanè, forti defensore contra  
» hoc

DEDICATORIA.

hoc examen Iesuiticum mihi opus fore. Præterea lubens & libens ex animo fateor, quicquid sanè omnibus ingenij mei viribus & conatibus præstari potest, & poterit unquam, hoc omne, post Deum, Illustrissimæ tuæ Celsitudini me debere. Ut pote quæ non solum iuuentutis meæ studia Clementissimo & liberalissimo subsidio adiunxit: sed cum ad Ministerium Ecclesiasticum accederem, tali commoda conditione prospexit, ut propter viciniam lectiones audire, & studia mea maiori cum utilitate continuare potuerim: ut interim maiora, imò maxima taceam: quo nomine sanè Illustriss: Celsitudini Tuæ ad immortales & perpetuas gratitudinis rationes me obstrictissimum intelligo: Sed quia hoc tempore omnes referenda gratiæ occasiones præclusas video, Dedicatione hac animi grati significationem qualemcunque Illust: Cels: Tuæ exhibere, meq; totum cum omnibus meis studijs offerre, consecrare, & dedicare volui, haud dubia spe ductus, Illust. T. Celsit. pari, quemadmodum hæctenus, ita etiam in posterum clementia me prosequituram, cum propter Parentem, qui per triginta annos fideliter in Illust: Celsitudinis Tuæ seruitijs vixit, quibus etiam immortalis est: tum quia per decennium in Celsitudinis Tuæ ditone munere Ecclesiastico, non infeliciter (uti spero) versatus sum, in spem minimè dubiam erigor, mihi etiam in posterum locum aliquem inter Illustriss: Cels: Tuæ Ministros, vel minimos saltem, relictum iri. Quas sanè clementiæ singulares & exquisitas illas rationes, si alia ratione, mea tenuitate compensare non potero, tamen ardentissimis votis, & precibus meis apud Deum Opt. Max. intercedam, ut Illustriss: Tuam Celsitudinem, & bonis literis promovendis, & Ecclesiæ ornanda his difficilimis temporibus, natam, ad nominis sui

EPISTOLA DEDICATORIA

gloriam, piorum emolumenta, quàm diutissimè saluam, & incolumem conseruare dignetur. Data Tubingæ, 16. Augusti, Anno 1592.

Illustriss. Celsit. Tue

Subiectissimus &  
obsequentiss:

M. Georgius Fleckius.

DISPV.

# DISPUTATIO ADVERSUS IMPIAS ET DETESTANDAS NV-

gas Ioannis Busæi, Iesuitæ Moguntini: quas effutijt in De-

fensione capituli primi Disputationis suæ de

persona Christi, eiusq; Apo-

logia.

## Thesis I.



**E S T A T V R C H R I S T V S**  
Luc. II. Diabolum humani generis hostem,  
quamprimùm è palatio suo eiectus sit, statim  
peruestigare omnia loca, & quærere requiem;  
sed cùm non inueniat, assumtis septem ne-  
quioribus spiritibus, redire, & occupare ve-  
terem habitationem; quâ occupatâ, postre-  
mam conditionem primâ deteriorem fieri.

2. Quibus verbis Christus Dominus, ingenium, & conatus  
pessimi illius spiritus, nobis ad oculum describere, & depinge-  
re voluit.

3. Nam quamdiu in quiete sua possidet, & tranquillo frui-  
tur otio: tantisper etiâ quiescit, nec in quosuis obuios grassatur.

4. Quamprimùm verò è palatio suo eijcitur: magno cona-  
tû illud repetere tentat.

5. Id sanè superioribus temporibus accidisse, experientiâ  
edocti sumus.

6. Nam cùm palatiû suum in Ecclesia Romana, aliquot se-  
culorû decursu, quietè possedisset; & ἀντιχριστός ille Antichri-  
stus, Diaboli vicarius, in templum Dñi sese collocasset, & extu-  
lisset supra omne quod dicitur Deus, ita vt in templo Domini  
sedens, seipsum ostentans, quòd Deus sit, ab omnibus tanquam  
Numen coleretur: res ipsius in florenti statu fuerunt.

7. Dominus tamen sub tyrannide illa Antichristi sua etiam  
septem millia habuit, quæ genua sua coram filio illo perditio-

A

nis

nis non curuârunt: multisque gemitibus ac suspirijs iugum illud grauissimum detestati sunt.

8. Tandem Christus Iesus Ecclesiæ suæ misertus, his nouissimis temporibus *ἀνομιον* illum, iniquitatis, iniustitiæ, & perditionis filium reuelauit; spiritu oris sui confecit; quem etiam illustri suo aduentu destruet, & abolebit.

9. Pro quo beneficio, quodque nos dignos iudicauit, quos per Euangelium suum vocaret in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi; Deo semper gratias agere, utque in ea nos clementer conseruet, precibus instare debemus.

10. Cæterum, cum Diabolus his vltimis temporibus multos excitârit, quorum operâ reditum in Ecclesiam Christi minimè dubium sibi pollicitus est: celebriores tamen IESUITIS emissarios hæctenus protrusit nullos.

11. Qui sanè eò impudentiæ processerunt, ut non modò veteres & abiectos Romanensium errores varijs coloribus pingere conentur: sed etiam Caluinistarum impietatem secuti, Christum Dei & Mariæ filium, fratrem & Salvatorem nostrum vnicum, de solio & throno Maiestatis diuinæ deturbare non vereantur.

12. Cuius rei luculentum edidit specimen Ioannes Busæus, Iesuita Moguntinus; qui non modò Disputatione blasphema, Maiestatem Christi iampridem allatrare ausus fuit; sed etiam blasphemijs ex verbo Dei monstratis & detectis, nihilominus veritati cœlesti sese opponere non dubitat: Patrem suum hac in parte imitatus, qui tertia vice à Christo profligatus, tamen certamen redintegrare non erubuit.

13. Nos autem gratiâ Dei adiuti, hac Disputatione Ecclesiæ Christi planum faciemus, quas iste Iebusæus & iuratus Christi hostis blasphemias contra gloriam Christi Salvatoris nostri euomuerit.

14. Deinde abstergemus calumnias, deprauationes, & mendacia; quibus nos, nostramque doctrinam denigrare & suspectam reddere voluit.

15. Utq̄;



15. Utque pius lector in ipso statim limine refutationis falso sic nominatae, intelligat, quid in tota tractatione sibi promittere debeat: animi morbum in ipso titulo dissimulare non potuit, dum veritatis defensionem rationibus Scripturae evidentibus confirmatam, [cauillationes leuissimè obiectas:] & postea in præfatiuncula ad lectorem, Maiestatis Christi hominis assertionem [Miserandum nouæ Concordiæ ludibrium:] per summam contumeliam vocat.

16. Sed omisis nugis, & mendacijs præfatiunculæ putidissimæ: [quòd videlicet armatus furore magis, & calumnijs, quàm ratione & veritate primum caput Apologetici adoriri cœperim: quòd Disputationibus suorum, Vbiquitas iam dudum protrita sit; quòd contumelias amputare, cholerae, & furori cedere, soliusque veritatis patrocinium suscipere velit: & similibus:] rectà ad confutationem præcipuarum partium defensionis Iesuiticæ accedemus.

17. Nam vter furore magis quàm ratione, calumnijs quàm veritate in arenam descenderit: vtrum Maiestas Christi hominis ad dexteram virtutis ubique regnantis, per miseram progeniem serpentis antiqui, protrita sit: vter veritatis patrocinium suscepit: hæc, cæteraque, lector eruditus ex vtriusque scriptis cognoscet.

18. Initio vt præclarum se vindicem, & assertorem gloriæ Christi omnibus comprobet, tale argumentum nobis ingerit:

[Quicumque asserunt, Christo secundum Humanitatem, vel vt homo est, gloriam Diuinitatis propriam deberi, & Christum tanquam DEVM patri cœlesti obediuisse, & pro nobis orasse; illi gloriam Christi negant, proscindunt, conculcant. Vos Vbiquitarij hoc facitis. Ergo Christi gloriam negatis, proscinditis, conculcatis; cum Christum Deum æquè ac hominem è medio tollatis.]

19. Hoc argumentum duo membra habet. Prius, Christo homini negat gloriam Deitatis propriam. Posterius inficiatur; Christum vt Deum patri obediuisse, & pro nobis orasse.

» 20. Ad prius quod attinet; cum innuit nos docere: [Christo  
 » secundum humanitatem gloriam Diuinitatis propriam debe-  
 » ri] grato animo confitemur, gloriam Diuinitatis propriam,  
 quam Christus Deus per naturam ab æterno habet, eandem  
 Christo homini per gratiam Vnionis communicatam & dona-  
 tam; idque sacrarum literarum, & orthodoxæ vetustatis inui-  
 ctis testimonijs comprobamus.

» 21. Quod autem subiicit, & infert: [Si Christus vt homo  
 » est omnipotens, & cultu latriæ adorandus, perinde vt Deus:  
 » Christus etiam vt homo est Deus.] Hoc si Iesuita negat: non  
 Iesu, sed diaboli socius est. Nam & antecedens, & consequens,  
 Scripturæ sacræ, & orthodoxæ doctrinæ patrum per omnia  
 consentit.

Christus etiam quâ  
 homo omnipotens.

» 22. Si enim Christus, quâ homo, omnem potestatem (quam  
 Busæus de omnipotentia Dei propria, Thef. 74. primæ suæ di-  
 sputationis interpretatur) in cælo, & in terra accepit: si virtute  
 Altissimi, secundum Athanasium, circumcinctus est, qua om-  
 nem impetum aduersariæ potestatis sustinere, & prodigia in  
 populo operari potuit: si Deus Verbum, secundum Nyssenum,  
 assumptæ humanitati Deitatis suæ virtutem tradidit, ita vt caro  
 Christi diuinam virtutem purificandi, & viuificandi (vt Theo-  
 phylactus loquitur) habeat: quis nisi impius & contumeliosus  
 Iesuita, Christum vt hominem, omnipotentem esse, infitari  
 audebit?

» 23. Sicut verò per Vnionem, non per essentiam, omnipoten-  
 tiam Dei realiter communicatam habet: ita quoque per Vnio-  
 nem realem, non per essentiam, Deus est. Sic enim Apostolus  
 » 1. Cor. 15. scribit: [Factus est extremus Adam in spiritum viui-  
 » ficantem.] Ibidem: [Secundus homo ipse Dominus de cælo.  
 » Germen Dauidis est Iehoua, iustitia nostra, Ierem. 23.]

» 24. Hinc patres Orthodoxi, carnem Deum factam esse, as-  
 ferunt. Quorum testimonia in assertionem contra Busæum pag.  
 148. leguntur.

» 25. Porrò, quia homo assumptus, Deus & omnipotens est:  
 cultu quoque latriæ adorandus est:

» 26. Hæc, qui infitiatur; non gloriam Christi vindicat, sed

can-

eandem furiosè proscindit, & conculcat. Quod scelus Satanicum Iesuitæ patrant.

27. Si verò argumentū Iesuitæ hoc modo formetur: [Quicquid naturâ & proprietate essentiæ est omnipotens: illud etiam naturâ, & proprietate essentiæ est Deus. Sed Christus, quâ homo, sua naturâ, & proprietate essentiæ est omnipotens. Ergo etiam eadem ratione est Deus.] Improbatur nobis minor propositio. Et qua ratione omnipotens, eâdem quoque Deus esse dicitur: videlicet per gratiam Vnionis, quæ sine reali naturarum & proprietatum facta non est.

28. Adorationem Christi hominis quod attinet, quia infra copiosius de ea agetur, responsionem illuc reseruabimus.

29. Sequitur membrum argumenti posterius: quo dum Iesuita gloriam Dei vindicare præsumit, in pestiferam hæresin Stancari incidit.

30. Est autem tale: [Si Christus vt Deus orat pro nobis, & patri cœlesti obedit perinde ac homo; consequens est, Christum etiam vt Deum esse hominem. Quod est negare, Christum esse Deum. A qua contumelia Christi gloriam vindico.]

31. Respondemus ad antecedens: Si Christus vt Deus, patri cœlesti obediens non fuit, si pro nobis non orauit, non sacrificauit, sed nudus duntaxat homo: (quod Iesuitæ sacrilego ore dicunt) nos redempti non sumus. Nam nudæ, & finitæ creaturæ obedientia, infiniti meriti esse nequit. At Christus vt Deus etiam pro nobis hæc præstitit. Nam sicut Deus pater proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, Roman. 8. vt per mortem eius Deo reconciliaremur, Rom. 5. Et sicut Deus Mundum dilexit, vt filium suum vnigenitum pro eo daret, Ioan. 3. Ita quoque filius vnigenitus, id est, Christus, vt Deus, patri obediuit.

32. Nec tamen hinc consequens: Christum etiam, vt Deum, esse hominem per essentiam. Quod autem Christus Deus, nulla ratione, ne per vnionem quidem, homo sit: non arbitror Iesuitam dicturum; cum secundum scripturam, Verbum caro factum sit: & sic Deus Verbum caro, seu homo, sit. Quod nullam contumeliam respicit; nec Christum esse Deum negat: vt male sanus Buseus colligit.

33. At negare: [Christo secundum Humanitatem, gloriam  
Deitatis propriam communicatam esse. Et: Christum tan-  
quam Deum patri cœlesti obediuisse, & pro nobis orasse:] hoc  
in Christum Deum & hominem contumeliosum esse, Assertio  
nostra liquidò demonstrat.

34. Sicut autem communicatio omnipotentia ex homine  
non facit Deum per essentiam: ita nec Maiestas omnipresentia  
(sicut nos eam ex verbo Dei describimus) humanam Christi  
naturam cum Eutychnianis in diuinam commutat: sed eam di-  
uinâ gloriâ secundum Scripturam ornat, & perficit. Quam vbi  
Iesuita, in Maiestatem & officium Christi blasphemus hæreti-  
cus, refutauerit; Hæreticos Nos esse confirmauit. Hoc verò,  
quia huc vsque non præstitit: nihil ad nos pertinere sciat, quæ  
de Hæresibus, & Hæreticis ex Clemente Alexandrino, & Hiero-  
nymo adducit.

35. Quòd à vobis Papistis, alijsque Lutherani appellamur:  
æquè non pudet nos huius nominis, ab aduersarijs cōficti (pro-  
pter ineffabilem gratiâ à Deo per Lutherum nobis præstitam)  
quàm primos Christianos non puduit, se à Iudæis incredulis  
Nazarenos vocari.

36. Baptizati sumus in nomen non Lutheri, sed Christi; à  
quo etiam Christianos nos dici gaudemus, & esse cōtendimus.  
Vos aut nouum nouæ sectæ nomen à vestro Patriarcha accepi-  
stis: eoque vos cæteris Christianis præferentes, superbitis; hoc  
ipso ostendentes, vos nouam Religionem, à veteri Christiana  
alienam, tueri.

Num. 5.

37. Quæ de subscriptione libri Concordiæ, à nostris pastori-  
bus, Diaconis, &c. autoritate Magistratus ordinarij facta, gan-  
nit: responsionem ampliorem præter eam, quæ thesi 180. 181.  
Disputationis meæ primæ contra Busæum, data est, nō merentur.

An nostri Theo-  
logi vocati, in  
Conc. Trid. non  
comparuerint.  
Anno 1552.

38. Quòd verò [Nostris non semel vocati, in confessu conci-  
liabuli Tridentini comparere ausi non fuerint:] putidissimum  
mendacium est; cuius etiam tuos, procul dubio, pudet, qui no-  
runt, Theologos Vuirtembergenses & Argentinenses, præter  
tuorum exspectationem, Tridentum venisse: Confessionem  
suam obtulisse; non semel in Concilio audiri petiuisse: sed fru-  
strà

strà, quòd tui Theologi ad Scripturam S. (qua nostros munitos sciebant) horrerent, nec se contra fulmina & tonitrua Spiritus S. consistere posse, nouissent.

39. De statu controuersia inter nostros & Zuuinglianos, remitto lectorem ad ea, quæ contra Busæum in Disputatione mea Theol. 146. & sequentib. uerissimè scripsit, quæ ipse allatrare, non autem refutare potuit.

De statu controuersia inter nostros & Zuuinglianos.

40. Est enim hæc stolidi, & peruersa collectio Iesuitæ: [Si, ut tu dictitas, Zuuingliani nunquam ore confessi sunt, Vnionem tantum esse verbalem: sequitur, vestros Doctores perfrita fronte de Zuuinglianis toties in libro Concordiæ, tamque audacter affirmare ausos fuisse; quòd unio personalis (secundum ipsos) tantum faciat communia nomina: quòd tantum sit phrasis & modus loquendi, DEVS EST HOMO, &c. quòd Sacramentarij vrgeant suam unionem, & communionem verbalem, &c.]

Num. 8.

41. Antecedens verum est. Quia uerò ex Zuuinglianorum (sicut quoque Iesuitarum) doctrina sequitur, ipsos non nisi verbalem Vnionem statuere: hoc eis, licet ore non confessum, à nostris uerè, & nullà Iesuitica impudentia, obiectum est. Nec quicquam Busæus ueri habet, quod suæ nequitia in statu peruerendo obtendere possit.

42. Quæ enim quæstio, quis status principalis sit: in libro Concordiæ, exemp. Latino, pag. 576. 577. expressè ponitur, & in omnibus nostrorum scriptis repetitur. Ex quibus sole clarius liquet: de Vnione, verbalis an realis sit, non principaliter quæri: sed, an inter diuinam & humanam naturam in Christo, PROPTER VNIONEM personalem, REALIS, hoc est, uera, & re ipsa existens in persona Christi, fiat quædam COMMUNICATIO, ut una Natura alteri suas proprietates communicet, &c.

43. Hæc licet Busæo ignota non sint; ne tamen se ipsum mendacij arguere cogatur, malitiosè contendit: [statum principalem controuersia inter nostros & Zuuinglianos hunc esse: Sit ne unio naturarum in Christo realis, an tantum uerbalis?]

Num. 9.

44. Est.

» 44. Estque mendacium Iesuiticum: [Nos de Zuuinglianis  
» dicere quòd C O N T E N D A N T, Vnionem duarum natura-  
» rum in Christo tantum esse verbalem.]

» 45. Imò cum illis obijcimus: hoc consequens doctrinæ ipso-  
» rum esse: iniuriam sibi fieri putant: nec Vnionem, realem esse,  
» scriptis suis (quod sciam) vnquam negarunt.

De autore contro-  
uerfiæ.

Thef. 151. 152. 153.  
154. Item 189. 190.  
& seq.

» 46. Quæ porro de autore controverfiæ inter nostros &  
» Zuuinglianos, incidenter scripsi: quia contra Iesuitæ nugas  
» (quas Num. 10. & seq. aliquot effutijt) immota consistunt: le-  
» ctorem ad theses Disputationis meæ primæ, in margine nota-  
» tas, remitto, vt ad magis necessaria, de quibus præcipuè contro-  
» uertitur, properemus.

Thef. 152.

» 47. Vbi tamen pius lector de fraude & peruersione Iesuitica  
» prius monendus est. Quòd enim scripsi: [Lutherum & ipsius  
» collegas germanum sensum dictorum Scripturæ & articulo-  
» rum fidei, contra corruptelas & peruersiones Zuuinglianorum  
» potenter ex S. Scriptura asseruisse; demonstrantes, Christum  
» vt hominem non solum suæ Cœnæ & Ecclesiæ præsentem esse,  
» sed etiam in dextera Dei constitutum, & ad maiestatem Dei  
» propriam exaltatum, omnia in cœlo & in terra adimplere] hæc  
» verba Busæus ex spiritu mendacij ita refert: [Lutherum, & col-  
» legas ipsius, NON ALIA DE CAUSA ex Scriptura asse-  
» ruisse, Christum vt hominem omnia in cœlo & in terra adim-  
» plere, QVAM vt blasphemum dogma Zuuinglianorum de ab-  
» sentia corporis & sanguinis Christi à S. Cœna, confutarent.]  
» Hoc nec ego, nec quisquam alius nostrorum dixit vel scripsit.

Num. 9.

» 48. Diuersi enim à cœna Domini articuli sunt, de assum-  
» tione Christi vt hominis in Deum, de ascensione & sessione il-  
» lius ad dexteram Dei. Horum veritas asserenda fuisset contra  
» corruptelas & deprauationes, etsi nulla vnquam controverfiæ  
» de cœna Domini incidisset.

» 49. Sed quia Zuuingliani articulis his ad falsam doctrinam  
» de cœna Domini tuendam abusi sunt: Nostri ex vero & genui-  
» no illorum sensu demonstrarunt, Christum suo corpore & san-  
» guine non solum Cœnæ S. adesse posse, sed etiam in personam  
» filij Dei assumptum, supra omnes creaturas ad maiestatem Dei  
» propriam

propriam exaltatum, & in dextera Dei constitutum, omnibus rebus præsentem esse.

50. Huius doctrinæ immota fundamenta, ex scripturis in cap. 7. Assertionis meæ prolata, si Busæus subuerterit: eamque in sacris literis non extare, euidenter confirmarit: autores nos esse nouæ sectæ, euincet.

51. Nunc autem glorians: [Se in Disputatione sua, eiusque Apologia, quàm plurimis & luculentissimis Scripturæ, patrumque testimonijs, solidaque obiectorum nostrorum refutatione, ad oculum demonstrasse, dogma nostrum esse commentitium & absurdissimum: meque impudenter iactare, (thes. 196. 202.) quòd euidentibus, & plurimis Scripturæ, patrumque testimonijs, doctrinam nostram de communicatione naturarum & proprietatum probârim] suo more nugas agit. De quo non minùs, quàm Busæus erudito lectori iudicium relinquo. Qui, vbi Assertionis meæ capita, 4. 5. 6. 7. & contra hæc Apologeticum Busæi, præsertim fol. 170. 172. 173. studiose perlegerit, (quod vt faciat, per amorem veritatis rogo) intelliget planè, Iesuitam suo more turpissimè mentiri, fabulantiem: [Quòd quicquid à me vanissima loquacitate] (sic impio Iesuitæ testimonia Scripturæ & Patrum, quæ magno numero adduxi, honorare placuit) [nulloque ordine passim obiectum sūt, SOLIDE & perspicuè à se refutatum esse.]

Num. 20.

52. Quòd autores Apologiæ, Concordiæ, Vbiquitatem certis limitibus S. Cœnæ & Ecclesiæ coercuerint: putidum mendacium esse, verbis eorundem ostendi.

De Vbiquitate.

53. Iam Busæus hoc mendacium, meum esse, sequentibus Apologiæ verbis probare conatur: [Quia, inquit, aduersarij nostri potissimùm vrgent generalem Vbiquitatem, & accusant librum Christianæ Concordiæ, quasi tectè doceat, Christum cum corpore suo esse in omnibus creaturis, vt in herbis, gramini- bus, lapidibus, pomis, pyris, in omnibus locis impuris, in omnibus bestijs, in omnibus cantharis cereuisarijs, &c. declaramus clarissimis verbis; primò, tales phrasés in libro Concordiæ Christianæ non contineri, sicut nunquam etiam vsurpauimus in nostris scriptis hanc abstractiuam locutionem:

Num. 25.

" Exemp. Ger. 172.

" Lat. 159.

" Qualis Vbiquitas ab autoribus Apologiæ damnatur.

B

substan-

» substantia corporis vel carnis Christi est in omnibus creatu-  
 » ris, &c.]

54. Verùm, in his verbis nihil prorsus auditur de coarctatione Christi hominis in Ecclesiam, & S. Cœnam: nec etiam negatur Maiestas omnipræsentiæ, quam ex verbo Dei pluribus in locis tradiderunt: sed rejicitur monstrosa illa Ubiquitas, quam aduersarij nostris per calumniam affinxerunt. Sicut ijdem autores immediatè sequentibus verbis seipso explicant:  
 » [Secundò dicunt, istiusmodi Ubiquitatem corporis Christi,  
 » **Q**U**A**L**I**S ab aduersarijs **C**O**N**F**I**NG**I**T**V**R, & hactenus  
 » exposita est: in libro Christianæ Concordiæ non tradi.  
 » Quò autem tandem negocium hoc expediamus, & aduersarijs  
 » calumniatoribus os obturemus, expressè fatemur:  
 » Ubiquitatem istiusmodi, **Q**U**A**L**E**M Aduersarij fingunt,  
 » & libro Christianæ Concordiæ, atque Ecclesijs nostris obtrudunt,  
 » è tertio Articulo Augustanæ Confessionis non posse demonstrari.] Hæc cum Iesuita legisset; proque suo mendacio palliando nihil facere cognouisset: more diabolico mutilauit ea, sic referendo: [Secundò, talem Ubiquitatem corporis, de qua iam egimus, non doceri in libro Concordiæ: nec ex tertio Articulo Augustanæ Confessionis posse defendi.]

Vera Omnipræsentiæ Christi hominis.

55. Cæterùm his sic ab autoribus Apologiæ expositis; mox veram omnipræsentiæ ex Scriptura eodem in loco confirmant. [Tertiò (aiunt) ad quæstionem, quidnam mens pia in controuersia de generali Ubiquitate sentire & statuere debeat, expedita responsio est: primò, sacram Scripturam expressè affirmare, Ephes. 1. & 4. Crucifixum, & resuscitatum Christum, ratione assumptæ humanæ naturæ, collocatum esse ad dexteram Dei in cœlestibus, supra omnem principatū, & potestatem, &c. Et omnia esse subiecta pedibus eius, qui omnia in omnibus implet. Item, qui descendit, ipse est, qui etiam ascendit supra omnes cœlos, vt omnia impleret. Ex quibus aliquo modo intelligi potest, quomodo assumpta humana natura in Christo exal-



II.

exaltata sit, & supra omnes creaturas ad dexteram Dei collo-  
cata: videlicet, quòd omnia Christo secundum assumptam hu-  
manam naturam presentia sint: & quòd omnia in omnibus  
operetur. Quemadmodum etiam libro Christianæ Concordiæ  
pag. 245. & 307. rectè docetur: Christum non tantum vt  
Deum, sed etiam vt hominem in statu gloriæ O M N I B V S  
creaturis P R Æ S E N T E M imperare.] Et post pauca: [Sic,  
quando nobis obijcitur, si implet omnia secundum humanam  
naturam; necesse est eum corpore suo omnibus inesse creaturis,  
lapidibus, lignis, folijs, herbis, in omnibus cantharis cereui-  
farijs, in omnibus animantibus brutis, in omnibus turpissi-  
mis locis, &c. firmo & solido hoc fundamento respondere pos-  
sumus, & debemus: Verum esse, totum Christum etiam se-  
cundum humanam naturam, (secundum hanc enim ascen-  
dit) omnia implere, & O M N I B V S C R E A T V R I S  
P R Æ S E N T E M, non absentem, imperare, Ephes. I. Nulla  
tamen necessitate urgemur, vt abstractis istis locutionibus  
vtamur: Substantiam corporis seu carnis Christi omnibus  
creaturis I N E S S E. Verum satis est, si cum libro Chri-  
stianæ Concordiæ loquamur, Christum etiam vt H O M I-  
N E M, seu secundum assumptam humanam naturam, O M-  
N I B V S C R E A T V R I S P R Æ S E N-  
T E M A D E S S E, & P R Æ S E N T E M omnia  
gubernare.]

56. Hæc malitiosè reticuit Iesuita; & priora illa eum in fi-  
nem descripsit, vt lector putaret, autores Apologiæ omnem  
Vbiquitatem reijcere. Quod, diabolicæ nequitia, non ingenui  
candoris documentum est.

57. Cùm autem iam dicta, ex Apologia à primarijs Augu-  
stianæ Confessionis Theologis approbata, typisque excusa, cer-  
ta sint: videt æquus lector, mendacium non frustra à me tibi  
obiectum fuisse. Nec moramur, quod ex scripta quadam Apo-  
logia affers: de quo nihil nobis constat.

Num. 27.

» 58. Quòd præterea ex verbis Apologiæ argumentaris; [Christus cum corpore suo non est *I N* herbis, lapidibus, bestijs, &c.  
 » nec tales phrasès ex libro Concordiæ, vel confessione Augustana possunt defendi: Igitur, vt homo non est vbique, vel præsens  
 » omnibus creaturis.] Dico, plus esse in consequente, quàm in  
 » antecedente. Nam aliud est, Christum vt hominem supra omnes  
 » creaturas ad dexteram Dei exaltatum, omnibus creaturis  
 » modo diuino & illocali (quò sedet ad dextram Dei, omniaque  
 » implet) præsentem adesse, ijsque dominari: quàm omnibus  
 » creaturis *I N E S S E*, quasi localiter & inclusiuè in illis conti-  
 » neatur: quod phrasès illæ sonant: [in herbis, lapidibus, be-  
 » stijs, &c.]

Psalm. 8.

» 59. De præsentis Domini super omnes creaturas, non de nuda  
 » quadam existentia *I N* illis, agitur. De hac solliciti non sumus:  
 » illud verò ex Scriptura confirmamus. Quod Christo homini negare;  
 » durum vobis perfidis socijs erit.

» 60. Nec tu de autoribus Apologiæ vllam contradictionem  
 » demonstraisti. Diuersa enim, non contradictoria sunt: quando  
 » vno in loco, Vbiquitatem monstrosam, (qua Christus vt homo  
 » in omnibus creaturis inclusiuè & extensiuè esse fingitur, sicut  
 » stramen est in sacco) damnant: In alio verò vindicant Maiestatem  
 » ipsius diuinam, qua omnes creaturas etiam locorum interualla  
 » & capacitatem, subiecta habet, omnia continet, & regit  
 » præsentem, modo, vt dixi, diuino, nõ physico, locali, & comprehensiuo.  
 » Nec enim ipse ab vlla creatura continetur, comprehenditur, & concluditur.

Num. 29. » 61. Hæc sola vbiquitas mihi & Theologis Vuirtembergicis  
 » nota est. Vnde te mentiri, & calumniari non ignotum: [Me  
 » cum *O M N I B V S* Theologis Vuirtembergicis *A P E R T E* tueri  
 » generalem Christi hominis Vbiquitatem *I N O M N I B V S* &  
 » singulis creaturis, etiam graminibus, lapidibus, &c. Idque vt  
 » nos putemus, secundum diuinarum Scripturarum doctrinam.  
 » Nec certè aliud ex nostræ Theologiæ principijs defendi posse.  
 » Si enim (inquis) Christus vt homo, secundum Scripturæ phrasin,  
 » *I N* omnibus creaturis est; cur conuenienter eidem Scripturæ  
 » non est in graminibus? nisi fortè gramina creaturæ non  
 » sint?]

sint? ] Si verò de Deo in Scriptura hac phrasi nusquam dicitur, “ quòd sit in omnibus creaturis, & sic etiam in lapidibus, & locis sordidis, sensu nimirum Iesuitico & Calviniano, monstruoso & absurdo: multò minùs de Christo vt homine id asseri poterit.

62. Gregorium de Valentia, peruersissimū Sophistam, scriptis suis Vbiquitatem nostram (quam verbis Scripturæ descriptā, impius sycophanta Busæus vanissimā vocat) ita protriuisse nugatur, vt nemo nostrūm hæcenus ausus fuerit ea refellere.

63. At nobis satis fuit, Doctorem Iacobum Andream eruditā & solida confutatione Disputationis Gregorij de Valentia, huius nugacissimi impostoris, blasphemias, impietates, peruersiones ita demonstrasse, vt, quo loco vanissima eius scripta habenda sint, studiosis veritatis innotesceret.

64. Insultas, quòd nec ego redarguere audeam, quæ ille bis pro sententia Hugonis scripserit. Et notas in Apologetico, & in hac refutatione defensionis Gregorij de Valentia paginam 110. in qua tamen nullum verbum hac de re extat. Num. 30.

65. Annotationum ipsius de controuersia vbiquitaria (quas similiter allegas) copiam habere non potui: nec etiam earum pro expositione verborum Hugonis mihi opus fuit. Hæc enim cum planissima sint; Hispanus suo more ea peruertere, non autem planiora reddere potuit.

66. Cùm dicit Busæus: [Me nullas Scripturas produxisse, nullam probationem pro omnipræsentia instituisse:] dubito, an inscitiam, vel quiduis negandi impudentiam accusem.

67. Si enim in diuinis literis versatus esset, etsi nec librum, nec caput Scripturæ (quod arguit) annoto: asseuerare tamen fortè erubesceret, Scripturis & probatione carere, quod scribo: [Nos secundum Scripturam docere: Christum, qua homo est, supra omne nomen, quod nominatur in hoc & futuro seculo, hoc est, supra omnem creaturam in communionem Dei Verbi assumptum, & ad dexteram Dei omnipræsentem exaltatum: omniaque ipsius pedibus, etiam locorum spatia, subiecta esse: omnia ipsum supernaturali & diuino modo, supra & extra omnem rationem loci, in ipsa Dei Verbi persona implere; & à

» nullo loco exclusum, omnibus creaturis velut Dominum &  
 » Governatorem realiter adesse: omnemque potestatem ubique,  
 » in cœlo & in terra præsentem exercere: cum non dimidiatus, sed  
 » totus Christus, Deus & homo, impartibiliter & integrè ubi-  
 » que sit.]

68. Hæc pro omnipræsentia ex scripturis proferentem, ne-  
 mo principium petere dicet, nisi paganus vel incredulus Iesui-  
 ta, & Calvinista, Maiestatis Christi hostes.

69. Quid enim est supra omnem creaturam ad dextram  
 Dei omnipotentem & omnipræsentem exaltatum esse, omnia  
 subiecta habere, omniaque implere, (quæ Scriptura de Christo  
 ut homine affirmat) quam ubique esse, omnia præsentem & po-  
 tenter administrare?

70. Hic omnem potestatem, quam in cœlo & in terra supra  
 omnes creaturas accepit, non absens, sed præsens exercet. Hæc  
 potestas, ut finita non est, sed Dei propria: ita nec præsentiam  
 finitam admittit: sed in dextera Dei præsentiam diuinam gubernat  
 & administrat omnia non dimidiatus, sed totus Christus, Deus  
 & homo, IMPARTIBILITER & INTEGRÈ VBIQUE  
 præsens.

71. Hæc omnipræsentiam immota fundamenta, si tu cum tuo  
 leuissimo Hispano protriueris: Christum ut hominem à Dei  
 consortio, eiusque dextera abstraxeris. Hoc autem ut omnibus  
 Iesuitis, Iudæ proditoris socijs, impossibile: ita quoque illud.

Num. 32.

72. De dictis Cyrilli & Chrysostomi (ex quibus firmissima  
 ratio pro omnipræsentia Christi hominis ducitur) videat lector  
 Thef. 209. 210. 211. 212. 213. 214. Disputationis meæ. Item the-  
 sin 95. Disputationis Busæi, eiusque Apologiam: & cognoscet,  
 » Iesuitam pro ingenio suo agere, cum fabulatur: [se rationem  
 » meam in locis iam dictis copiosè refutasse: quod ego turpi si-  
 » lentio comprimam.]

73. Quia verò Busæus subinde insultat nobis: [Neminem  
 » veterum Patrum docuisse, Christum ut hominem esse ubique:]

Ambros. de Vbiqui-  
 tate.

» Ecce præter iam dictos, Ambrosium, qui libro septimo, capite  
 » decimo in Lucam scribit: [Quando reuerteris Domine, nisi in  
 » die Iudicij? Nam licet VBIQUE SIS SEMPER, &  
 » stans

stans in medio nostrum, non cernaris à nobis: erit tamen tem-  
 pus, quo vniuersa caro te aspiciat reuertentem.] Augustin. de  
 verbis Apostoli, Serm. 14. [In cælo erat, quia **VBI QVE**  
**CHRISTVS**, denique Christus & filius Dei & filius homi-  
 nis.] Cyrillus lib. quarto, in Iohan. cap. 22. [Animaduerte rur-  
 sus, vnum esse Christum, non duos, vt nonnulli temerè asse-  
 runt. Animaduerte, inquam, quia **VBI QVE** post incarnatio-  
 nem **INDIVISIBILEM SE** esse ostendit.]

74. Postea ex verbis Hugonis tale Argumentum duxi: [Si,  
 ipso confitente, Christus, quâ homo, ex natura Vnionis perso-  
 nalis cum Deitate Verbi, simul est in multis, imò innumerabi-  
 libus, & quidem à se inuicem remotissimis locis, quando sacra  
 Cœna administratur: potest eadem de causa in omnibus locis  
 esse. Nam hæc potentia, & Maiestas, qua simul eodem tempo-  
 re in pluribus, & quidem à se inuicem longè disitis locis exi-  
 stit, non est finita aut creata, sed potentia Dei propria: in cuius  
 communionem Semen mulieris per Vnionem personalem  
 cum Deo Verbo assumptum est. Nec vlla finita potentia efficere  
 potest, vt vnus numero Homo sit in multis locis Suetiæ, & si-  
 mul in Iberia, alijsque locis Orientalibus, vbi cœna Domini  
 tempore paschatis administratur.]

75. Ad hoc Busæus nihil aliud respondere potuit, quàm  
 [esse putre fundamentum, cui pro Hugone contra Hugonem  
 & veritatem, argumentationum mearum ædificium passim  
 imponam; quod fundamentum ipse iamdudum euulserit.]  
 Vbi verò liber, vbi pagina, in qua hoc præstitisti? Nugæ sunt,  
 quibus lectorem deludis: & mendacio (in quo omnem tuam  
 spem posuisti) euadere te posse confidis.

76. Similis impietas, ex odio Maiestatis Christi profluens,  
 est, quod scribit: [Si corpus Christi actu sit vbique, Christum,  
 quâ homo est, non fore vbique potentiâ infinita Dei propria,  
 vti nos intelligamus, sed finitâ & creata, licet maxima.] Hoc  
 cerebri sui excrementum quia non probat: oppono ei, quod  
 paulò antè ex verbis Hugonis deduxi.

77. Quòd enim corpus finitum & circumscriptum in pluribus à se inuicem remotissimis, vel omnibus locis existit: non est creatæ, sed infinitæ potentia; quæ sola hoc efficere potest.  
 » Quod nec ipse Iesuita diffitetur, cum ait: [Corpus Christi, extra  
 » administrationem Cœnæ, diuina virtute vbique esse  
 » posse.]

78. Nihil iam dicam de futilissimo commento, quo fingit, corpus Christi sub speciebus panis Eucharistici latere: &, quòd alia vbiquitas corporis Christi dari non possit, quàm si in omnibus locis essent species panis Eucharistici: aut si diuina virtute extra Cœnam efficiatur, vt actu sit vbique: quam tamen virtutem postea dicit finitam & creatam esse. Quæ partim stultitiam, partim odium execrabile in Maiestatem Christi hominis resipiunt.

79. Quæ de Fabro Stapulense verissimè scripsi: repetere velit lector ex Disputatione mea thes. 224. & seq. Ex quibus deprehendet, putum mendacium esse, [quòd Fabrum Stapulensem obijciam tanquam Doctorem Scholasticum.] Hoc enim ex professo refutatur thes. 225. & 235. Disputationis meæ.

80. Nec aliud stolidius & ineptius, quàm cum probari potest stulatur: [Doctrinam Lutheranam hæreticam esse:] producere Concilium Tridentinum: cuius Decreta & Canones plurimis pudendis & impijs erroribus scatere, Nostri ex verbo Dei solidissimè & inuictè demonstrarunt.

81. Nec etiam, quia Doctores Scholastici Fabrum antecedentes, Christum secundum Humanitatem vbique esse negarunt: idcirco Iacobus Stapulensis PRIMVS AVTOR est doctrinæ Vbiquitariae. Hanc enim à Prophetis & Apostolis traditam, pluribus ipsorum testimonijs cap. 7. Assertionis meæ eui-ci: & paulò antè dicta Patrum de eadem protuli.

82. Vnde cum tuo Natali veritati vim facis, dum eum contra Fabrum mentientem introducis: [quòd NOVVM omnino sit dogma, quòd sanctus aliquis doctorum non docuerit, sed erroris spiritus: quòd nullus vnquam verus sapuerit Theologus, sed Faber damnabili singularitate agitatus mundo attulerit: quòd planè & hæreticum & blasphemum sit, quod vel  
 Scho-

Scholæ Theologicæ tyrunculi rideant, & expuant.] Hæc ru-  
dens iste Matæologus.

83. Non minùs impudens mendacium est, quòd [Prophe-  
tarum, & Apostolorum testimonia, quæ pro omnipræsenti-  
Christi hominis attuli, SOLIDE & ACCURATE suis locis  
Ubiquitati detraxerit.] Et prouocat ad Apologeticum suum:  
quem totum si quis perlegerit, nihil horum inueniet.

84. Cumque ego in principio cap. 7. (in quo de omnipræsenti-  
sentia ex professo agitur) nostram doctrinam plurimis Scri-  
pturæ tam vet. quàm noui Testam. testimonijs confirmassem:  
Busæus admodum ægrè id ferens, & ad ea exhorrescens & tre-  
pidans, stolidè nugatur in Apologetico; [ME EXTRA PRO-  
POSITVM, beneque longa declamatione (quam fortè ali-  
quando ad Scholares Tubingenses habuerim) probare cona-  
tum omnipræsentiæ Christi hominis: ne lector indoctas in-  
eptias, quas deinceps plenis buccis in ipsorum probationes ef-  
fusurus sim, animaduertat. Nos autem, inquit, non patiemur  
INANI ista LOQVACITATE lectorem adduci à cognitio-  
ne & dijudicatione veritatis.]

85. Hæc sunt illa, quæ Busæus in cap. 7. Apologetici sui ad  
22. paginas, (in quibus Scripturarum testimonia descripta, &  
exposita sunt) respondet. Vbi simul notandum, quòd catalo-  
gum dictorum Scripturæ, INANEM LOQVACITATEM  
vocet, qua lector abducatur à cognitione & dijudicatione ve-  
ritatis.] Hæc scilicet, in grauiissimo religionis articulo cogno-  
sci, & dijudicari potest, absque testimonijs Scripturæ, de con-  
trouersa materia disertè agentibus.

86. Eandem peruersitatem prodit in scripto, quod nunc re-  
futamus, vbi fremit: [Quòd Prophetarum & Apostolorum te-  
stimonia pro omnipræsentiæ, LONGA DIGRESSIONE,  
extra Disputationis suæ limites, vt opus turgesceret, & verbo-  
rum copia lectorem turbarem, ex aliqua fortè concione de-  
scripserim. Se autem id modò, à mea digressione digrediendo,  
cauisse, ne mecum, qui vbique omnia repetam, Ubiquitarius  
esset.] Hoc scilicet Busæo est, solidè & accuratè testimonia Scri-  
pturæ ubiquitati detrudere: Hoc ipsi est DIGREDI, testimo-  
nia

nia videlicet Scripturæ in loco debito pro confirmatione suæ causæ conuenienter adducere.

87. Ne tamen omnia vanitatis conuincam : hoc vnum ei verum esse largior , quòd extra Disputationis ipsius limites longa digressione vsus sim. Ipse enim rancidis ratiunculis & testimonijs Patrum malè detortis, non Scripturæ dictis, blasphemam suam opinionem , contra Christi Maiestatem tueri conatus est. Ad quæ , priusquam responderem ; sententiam nostram Orthodoxam , propugnaculo Scripturæ firmissimo muniui; ex quo deinde ipsius obiectiones dirui. Hoc scilicet istum aduersarium Christi turbauit , & querulum fecit.

88. Post hæc in blasphemiam erumpit, doctrinam nostram, qua Christi gloriam vindicamus, monstrum appellans. Eidem putidum mendacium perfidorum quorundam Apostatarum, Iesuitæ similium addit: [quòd Lutherus affirmarit, se Vbiquitatem tueri, NON quòd NECESSARIO ita sit , sed vt ostenderet modum , quo corpus Christi possit esse vbique.] Verba Lutheri sic habent: [Quòd probaueram, corpus Christi vbique adesse, cum dextera Dei vbique sit; id hoc consilio feci ( sicut apertissimè ibi protestabar ) vt vel vnicum modum ostenderem, quo Deus posset efficere, vt Christus simul in cælo, & corpus ipsius in Cæna adsit; & ipsius diuinæ sapientiæ, potentiæque plures etiam modos præseruarem, per quos id ipsum præstare possit, cum potentiæ ipsius nec finem, nec modum sciamus.]

Num. 43.

89. Possent autem contra istud impudens commentum plura testimonia Lutheri adduci, in quibus omnipræsentiam Christi hominis simpliciter asseruit : sed ea breuitatis causa nunc omitto.

90. Non dissimile istorum mendacium est : [quòd Lutherus Vbiquitatem prorsus repudiarit.] Idque probare conantur ex Tom. 8. Ienensi; vbi verba referuntur, quæ Lutheri non sunt. Sed quia ad istum locum à nostris copiosè & solidè responsum est , pudere Iesuitam debuisset, cramben recoctam & proiectam apponere.

91. Por-



91. Porrò, [Tubingenses fuisse PRIMOS, PRÆCI-  
 P V O S Q V E, quorum thesibus doctrina illa HACTE-  
 N V S in Lutheranorum Doctorum libris A B D I T A, pa-  
 lam innotuerit, & quasi lucem aspexerit, cum prius inter  
 Zuuinglianos & Lutheranos alia nulla intercedere videretur  
 controuersia, quàm de cœna Dominica.] Hoc mendacium  
 confutat ipse Busæus alio mendacio, sibi contradicendo scri-  
 bens: [Id dico: principium, originem, & occasionem litis in-  
 ter vos & Zuuinglianos excitatæ, sumtam fuisse à controuer-  
 sia Vbiquitatis.] Item: [Quo sensu expromto,] (quòd nimi-  
 rum sessio ad dexteram patris, sit ipse articulus Vbiquitatis.)  
 [Mox inchoatum certamen est inter Zuuinglianos & Luthe-  
 ranos de corporis Christi Vbiquitate.] Quomodo ergo verum  
 est, quod de Tubingensibus comminisceris? quodque postea  
 nugaris, [Lutherum, aliosque paucos Confessionis August.  
 Doctores hanc quidem doctrinam ante Brentium tradidisse,  
 sed obiter, & quasi aliud agentes?]

92. Hæc doctrina inter nostros ita diuulgata fuit, vt nec  
 Philippus primis annis ab ea alienus fuerit, quamuis eam suis  
 locis non inseruerit. Sic enim in suo commentario in Episto-  
 lam ad Coloss. Anno 41. Basileæ edito, scripsit: [Ascendit Chri-  
 stus in altum, hoc est, glorificatus est, resurrexit, & regnat cum  
 patre P A R I P O T E N T I A, O M N I A I N O M N I-  
 B V S P E R F I C I E N S.]

93. Hæc doctrina cum clarissime extet, sæpeque repetita  
 sit in scriptis Lutheri: aut tuos Catholicos hæc non legisse ne-  
 cesse est, aut stupidos asinos fuisse oportet, si eam non depre-  
 henderunt.

94. Non autem diffitemur, quin post obitum Luthe-  
 ri & Philippi, perfidi quidam Matæologi & Apostatæ Vuit-  
 tenbergenses, præ cæteris, Theologos Vuirtembergenses  
 diuexarint, propterea quòd constanter hanc doctrinæ cœ-  
 lestis partem contra apertos & clandestinos Calvinianos tue-  
 rentur.

An Disputatio In-  
golstad. ab Acade-  
mijs Lutheranis  
præter Vuitteber-  
gens. sit approbata.

Num. 47.

95. Sequens mendacium: [quòd Disputationem Ingolsta-  
diensem Maiestati Christi hominis oppositam, etiam LUTHE-  
RANÆ QVÆDAM ACADEMIÆ approbarint:] alio  
mendacio cumulas, dum fingis, [ab illo te purgari per Docto-  
rem Iacobum Andreæ.] At is solùm impostoribus Vuirtem-  
bergensibus perfidiam istam tribuit, quòd theses Iesuiticas ty-  
pis excudi curarint. In nulla verò alia schola Lutherana theses  
istæ à Collegio Theologico approbatæ sunt.

96. Sed quia Iesuita totus mendacijs turget, secundo huic  
addit tertium: idque contra apertam veritatem verisimile red-  
dere studet sequentibus nugis: [quòd autem (ait) aliarum scho-  
larum, vel Academiæ Lutheranarum Professoribus proba-  
tæ fuerint: tum ex decreto Saxonorum Theologorum, Dresdæ  
contra Ubiquitatem anno 71. edito, tum ex eorum scriptis  
apparet: qui vt se contra Ubiquitarios tuerentur, in suis Apolo-  
geticis prolixè easdem non semel descripserunt; vt Theologi  
Anhaldenses.]

97. Cùm Iesuita nominare debuisset Academijs Luthera-  
nas: nominat is Theologos Saxonicos; qui respectu contradi-  
centium pauci admodum, & inter hos paucos præcipui fue-  
runt sycophantæ Vuittembergenses: quorum autoritatem (vt  
fieri solet) alij quidam viri boni & synceri imprudenter secuti  
sunt: quod postea seriò deplorarunt. Vuittembergenses præter-  
ea perfidiæ socios habuerunt Anhaldinos: qui Academiã  
non constituunt, sed viperarum Vuittembergensium infelix  
progenies sunt.

98. Postea ridiculus & vanus Iesuita, ridiculum esse dicit,  
quòd scripsi: [Vuittembergensium scripta magno consensu à  
Scholis, & Ecclesijs nostris damnata: cùm nunquam de dogma-  
te Ubiquitario maior inter nos, quàm post consensum, con-  
cordiamque editam contentio extiterit; sicut polemica inter  
nos & Helmstadianæ Academiæ Theologos certamina osten-  
deret.]

A quibus Ecclesijs &  
Academijs Vuitte-  
bergenses Apostata  
damnati sunt.

99. An verò Iesuita non vidit vnanimem Confessionem  
plurimorum Theologorum, nō tantum florentissimarum Ec-  
clesiarum, Lubecensis, Hamburgensis, Hildesheimensis, Göt-  
tingen-

tingensis, Hanouerensis, Imbecensis, Hamelensis, Brunsvicensis, Gosslariensis, Halberstattenensis, Hallensis, sed etiam Ducatum Brunsvicensis, (sub quo Academia Helmstadiensis comprehenditur) Luneburgensis, Mechelburgensis, & Academia- rum Rostochiensis, & Ienensis, Comitatusque Mansfeldensis. Hi omnes, præter Vuirtembergenses, opposuerunt se Apostatarum Vittembergensium scriptis: in quibus expressè nominatur Confessio Dresdensis.

100. Licet autem post Concordiam editam, Helmstadienses Theologi litem cæteris mouerint; eam tamen sopitam arbitror: nec consensum reliquorum secessio paucorum tollere potuit.

101. De statu controuersæ, quia vanissimus Iesuita scribit: [quod probauerit in refutatione mendacij quarti, Nostros verè hunc statum controuersæ facere: Sitné Vnio Diuinæ & Humanæque Naturæ in persona Christi Realis, an Verbalis: eumque nostros comminisci, ex eo se probasse in Apologetico pag. 4. quod Zuuingliani nusquam verbis verbalem admittant Vnionem, &c. AD QUÆ EGO NIHIL responderim.] Hoc pro- iectæ leuitatis mendaciū vt patefiat, repetere lector velit, quæ suprà thes. 39. & sequent. habentur: & quæ in Disputatione priori, thes. 147. 148. 149. scripsi. Ex quibus agnoscet, Iesuitam miserum Diaboli mancipium esse: per quod, omni pudoreposito, quæuis turpissima mendacia effutiat.

102. Porrò, quæ hæc est futilis & ridicula probatio: [scribimus, dicimus; profitemur, veram & realem esse duarum Naturarum Vnionem in persona Verbi: Ergo vbi quisticum mendacium est, Iesuitas quoque Vnionem facere verbalem?] De statu controuersæ. “ “ “ “ “ “

103. Nam etiam Nestorius professus est vnā personam in duabus naturis: vnum filium, non duas personas esse. Et tamen Patres Orthodoxi ex alijs ipsius dictis rectè collegerunt, ipsum vnā personam Christi in duas discerpere. Idem nos hodie de Iesuitis & Calvinianis euidenter concludimus: sicut & hoc, quod Vnionem duarū Naturarum in Christo Verbalem, non Realem & hypostaticam, impiā sua doctrina de communicatione verbali, faciant.

104. Nullum ergo hic mendacium à me illustrius factum, cum tuos Zuuinglianis in nobilissima Vnionem destruenda connumeravi. Eadem enim vtrorumque impietas, & perfidia in hoc Articulo est.

Num. 50. 105. Hanc cum Busæus diluere vult, ut videatur cum suis Realem Vnionem statuere: euadere conatur per distinctionem, scribens: [Negamus tantum communionem, qualem vos fingitis, ut vna natura alteram afficiat, alteraque alteri suas proprietates communicet; quod figmentum Eutyechianum est, imò impossibile.] Ad hanc partem distinctionis (quæ nostram doctrinam non exprimit) respondemus: Nos talem communicationem statuere, qua Filius Dei (non natura diuina immediate) perfectum hominem, propria tamen personalitate destitutum, ex substantia Mariæ virginis in communionem personæ, Naturæ, & Maiestatis suæ assumfit: & vicissim Naturam humanam assumptam cum proprietatibus naturalibus sibi ita propriam fecit, ut caro Christi eiusque proprietates & affectiones tam propriæ essent Filij Dei, quam caro Petri ipsius propria est:

106. Hanc planam & perspicuam doctrinam, plurimis apertis, iisque solidissimis Scripturæ & Patrum testimonijs, in mea Assertionem per aliquot capita confirmatam, excæcatus Iesuita figmentum Eutyechianum, quod impossibile sit, vocat.

107. His addit: [Se vnâ cum suis non negare Vnionem & communionem realem Naturarum in persona secundum subsistentiam: ratione cuius vnus naturæ proprietates alteri, sed mediate & in concreto attribuantur.] Hoc verò est subobscuris verbis lectorem naso suspendere, ut existimet, Iesuitas veram communionem Naturarum & proprietatum non negare: quod tamen ipsos facere ex doctrina, quam nostræ opponunt, certissimum est. Nam & nos Vnionem & communionem Naturarum & proprietatum, non immediatam, sed in persona Verbi, statuimus. Et, si communicatio naturarum realis in persona verbi nulla est; Vnio hypostatica dici non potest: siquidem ex duobus incommunicabilibus, persona incommunicabilis constitui nequeat.

108. Si

108. Si igitur Filius Dei Naturæ assumptæ seipsum non communicavit, nec hanc sibi propriam fecit: ex his duobus vna persona Christi constituta non est. Illud autem, quia Iesuitæ & Calviniani asseuerant: consequens est, ipsos Vnionem hypostaticam negare, & hæresi Pauli Samosatani communicare.

109. Post hæc ait: [Se clarissimè in Apologetico pag. 10. probasse testimonijs Formulæ Concordiæ, D. Iacobi Andrea, & meis ipsius verbis, Nos mutuam communicationem Naturarum & proprietatum in Christo minimè agnoscere.] Rogo autem lectorem per amorem Dei & veritatis, vt inspiciat meæ Disputationis Thes. 368. cum seq. ad thesin vsque 376. in quibus verba Apologetici, meaque refutatio extant: & clarissimè cognoscat, Iesuitam in reprobum sensum traditum esse, quòd ista vanissima nulla fronte scribere ausus fuit. “ Num. 53.

110. Similem vanitatem his verbis Busæi inesse, [quòd pag. 9. Apologetici, ex D. Iacobi scriptis copiosè probârit, Nos Vnionem personalem constituisse in communicatione idiomatum & Naturarum:] deprehendet æquus lector ex eadem Disputatione, à Thes. 356. vsque ad 363. Ad quas hoc vnum respondet: [Me vanissimum hominem esse, qui id inficiari audeat] quod videlicet ipse idea vanitatis mentitur.

111. Tandem accedit Busæus ad eam partem Thes. suæ primæ, quæ fundamentum est impietatis & blasphemiæ Iesuiticæ: idque admodum timidè facit, conquerens, [quòd cum summo lectoris fastidio repetam; Si hoc pronunciatum Iesuiticum verum sit: **NECRE, NECNOMINE, IN PERSONA CHRISTI aut COMMUNICATAS esse, aut COMMUNICARI POTVISSE vicissim NATURAS, earumque PROPRIETATES:** necessariò sequi, Deum Verbum non esse Hominem ex Maria assumptum: hunc Hominem non esse Deum, non adorandum: carnem Eius non esse viuificam: æternum Dei Filium non esse passum, non mortuum. Qua ratione totus Christianismus, Redemptio & Salus nostra, funditus evertatur.] “ Num. 54.

“ Fundamentum  
“ impietatis Iesui-  
“ ticæ in doctrina  
“ de persona Christi.

112. Vbi

112. Vbi initio notandum, quòd Iesuitis nihil molestius, magisque tædiosum esse possit, quàm inculcare impia & blasphema absurda, quæ ex ipsorum doctrina sequuntur.

Num. 54. 113. Quid verò respondet Busæus? Hoc minimè sequi dicit:  
 „ [Nam etsi naturæ non habeant inter se realem communionem  
 „ secundum naturas & proprietates, hoc est, vt altera alterius I N  
 „ S E habeat proprietates; habeant tamen secundum subsisten-  
 „ tiam personæ, in qua vniuntur: vti F V S E ab ipso in Apologe-  
 „ tico ad acuendum intellectum meum, pag. 5. & 7. explica-  
 „ tum sit.]

114. Nemo autem Nostrum scripsit, quòd naturæ in Christo immediatè, sine personæ interuentu, habeant realem communionem. Ideo his verbis lectori fucum facere conatur, ac si respondisset aliquid ad obiecta absurda.

115. Et quia ad pag. 5. & 7. Apologetici sui prouocat; lectori molestum non fit, eas (si cui ad manum sunt) perlegere; & videbit, Busæum non posse nisi mera mendacia crepare. In his enim paginis ne vno quidem verbo, nedum fusè explicauit, quomodo naturæ I N T E R S E realem communionem habeant secundum subsistentiam personæ, in qua vniuntur. Quomodo ergo intellectum meum (de quo nugatur) acuire potuit?

Num. 55. 116. Postea dicit: [se asseruisse, in meis verbis esse luculentum mendacium. Nunquam enim dixisse, vel insaniuisse Iesuitas cum Iudæis & Turcis, Iesum Mariæ filium non esse Deum, aut Deum non esse hominem.]

117. Ego verò non scripsi, Iesuitas hoc verbis profiteri: sed istud ex blasphema ipsorum doctrina & effato illo, N E C R E N E C N O M I N E, &c. necessariò sequi, demonstraui.

Num. 56. 118. Conqueritur autem, quòd vocem [effatum] referam nunc ad verba sua antegressa: quòdquæ tam ambiguè eam collocarim, (in Assertionem meam pag. 7.) vt ad mea P O T I V S sequentia verba referri debeat: aut si non debeat, quomodo depulerim mendacium? & triumphans, addit: [Hic Rhodus, hic salta Gerlachi. Et iterum: Si velis pro tua κοινωνία reali.]

119. At

119. At quomodo vocem [effatum] ad sequentia referre potuisti, cum ea non fuerint tuum effatum, quod refutandum erat? sed verba præcedentia, quæ literis maiusculis notavi, & statim refutare cœpi, absurda inde consequentia strictim notans.

120. Deinde omnia in mea Assertionem consequentia ostendunt, me postrema tuæ Thesıs verba putasse. Ideo dico: [Busæum hîc] (videlicet suis verbis, quæ maiusculis descripta erāt.) [Compendio complexum esse, quàm pestiferam, impiam, & blasphemam doctrinam in hac Disputatione proponere velit, in cuius societatem etiam Catholicos pertrahat.] Hos verò scriperat, vnâ cum Calvinianis docere: **NEC RE, NEC NOMINE IN PERSONA CHRISTI, &c.** Tertio expressè scribo: [Suntque postrema huius Thesıs verba, etiam propter ea notanda, &c.] Deniq; addo: [Si, quod nunc effutijt, verum est, Christus vt homo non est adorandus, &c.] Quid verò effutierat Busæus? **NEC RE, NEC NOMINE, &c.** Hæc omnia clarissime docent; te furore quodam abreptum, vt vocem [effatum] ad sequentia, quæ tuum effatum non erant, referres: teque hoc loco mentiri, quod vocem [effatum] tam ambiguè collocarim, vt ad sequentia verba **POTIVS** referri debeat.

121. Deinde si vocem hanc ad sequentia retulisti, quæ sunt: [Iesus Mariæ filius non est Deus: Deus non est Homo: Deus non est passus, non moritur: & idcirco nos omnes non redempti, non iustificati, non saluati, non mundati sanguine Christi sumus, &c.] Quid est, quod sine mente eructasti: [Vbi scripsi, vbi dixi quæso, effatum hoc verum **NON** esse?] Ergo secundum te verum est, Mariæ Filium non esse Deum, Deum non esse hominem, Deum non esse passum, non mortuum? Et hoc etiam necessariò ex vestra blasphema doctrina sequitur, et si id ore non fateamini.

122. Vides me, quod iubes, saltare, pro mea reali *κοινωνία*, qua gloriam Seruatoris nostri ad dexteram Dei ubiq; regnantis, contra tuam perfidiam (qui socius ipsius esse vis) assero.

123. Vt autem lector impietatem & pestiferam doctrinam horum impostorum plenius intelligat; referat huc Disputationis meæ Thes. 165. &c. vsq; ad Thes. 172. Item Thes. 267. 269.

D . Ad

Num. 56.

Quam communica-  
tionem Busæus ad-  
mittat.

Ad has omnes Busæus, euidentia veritatis conuictus, hoc vnum  
 „ mussitat: [Iam sæpius à me audiuiſti, quam *κοινωνίαν* ego ad-  
 „ mittam, nempe qualis est inter subiectum & prædicatum tua-  
 „ rum propositionum, Filius Dei est Homo, & homo est filius  
 „ Dei. Habent enim hæc subiecta & prædicata communionem  
 „ in vna hypostasi seu supposito.] Non puto lectorẽ ex his verbis  
 „ assecutũ, quam *κοινωνίαν* Busæus admittat: ideo eam declarabo  
 „ ipsius verbis, quæ Num. 65. extant. [Ex Vnionẽ, inquit, in per-  
 „ sona Verbi fit, vt, quæ vnus sunt naturæ, dicantur etiam perti-  
 „ nere ad alteram, NON ALIO SENSU, quàm quia perti-  
 „ nent ad propriam alterius Naturæ hypostasin.]

124. Hæc est illa communicatio Iesuitica, qua videlicet Fi-  
 „ lius Dei Naturæ assumptæ nihil suorum communicat, nec vicif-  
 „ fim naturæ assumptæ & proprietatum illius realiter participat:  
 „ sed qua propria naturarum in Christo tribuuntur personæ in  
 „ concreto.

Num. 56.

125. Præmissis addit Busæus: [Quare quæ nugaris deinceps  
 „ Thes. 268. miser & trepidus, friuola sunt & inania.] Verba  
 „ mea sic habent: [cũ Thes. 13. asseruisset Busæus; veras esse has  
 „ propositiones, Filius Dei factus est homo, passus est, cruci-  
 „ fixus, mortuus. Item, Christus homo est Deus, immortalis,  
 „ omnipotens, vbique: obieci illi, has enunciationes cum nega-  
 „ tione communicationis realis in prima Thesi posita, consistere  
 „ non posse: idque declarauĩ & probauĩ pag. 23. Ad hoc quid Bu-  
 „ sæus? cũ meam collectionem hoc loco, & in refutatione  
 „ Thes. 13. expressam, falsam & inanem esse ostendere non pos-  
 „ set: hoc vnum nugatur miser, constrictus, & trepidus:] lege  
 „ Thes. 13. & fateberis ipse, te veritati pepercisse. [Num verò hoc  
 „ est lectori satisfacere? Et tam enormem impietatem euidenti-  
 „ bus rationibus depellere?] Hæc quia Busæus conuellere non  
 „ potuit: ea friuola & inania esse dicit. De quo penes lectorem  
 „ iudicium esto.

126. Scripsi pag. 8. Assertionis: [Verba illa Iesuitæ maiuscu-  
 „ lis descripta, propterea quoque notanda esse, vt si Busæum de-  
 „ inceps non nihil diuinæ Maiestatis carni Christi adscribere le-  
 „ gerimus



gerimus (ne omnia ipsi detrahere videatur) sciamus, illum Christo Homini illudere, ac præstigijs agere. Si enim, quod nunc effutijt, verum sit: tum Christus vt Homo nõ est adorandus: caro illius non est viuifica: quod tamen in Thef. 78. sentire videri vult.]

127. Verba Thesis Iesuiticæ ita sonant: [Carnem Christi vnâ cum Deitate adorari: sed adiuncta legitima interpretatione, nempe non secundum naturalis carnis proprietates, sed ratione Vnionis personalis, hoc est, quia Natura diuina cum anima, carneque Humana sine vlla confusione vel permixtione in vnâ substantiam vel personam Verbi conuenit, sic, vt caro facta sit propria non naturæ diuinæ, quod fieri non potest, sed propria Verbi, & caro verè & propriè Filij Dei: ac ideo ratione Verbi, omnes quoque proprietates Diuinitatis habet communes cum Verbo: & VNA ADORATIONE (vt Concilium Ephesinum definiuit, & Scholæ Doctores constanter docent) CVM DIVINITATE NON COADORATUR, sed ADORATUR.]

De Adoratione  
carnis seu Humanitatis Christi.

128. His subiungo: [An non Busæus his verbis diuina attributa, Maiestatem & honorem Dei proprium, carni Christi, seu (vt magis conuenienter loquamur) Christo vt homini disertè adscribit? Eumque VNA ADORATIONE cum Deitate ADORARI (Hæc autem cultu latriæ adoratur) expressè dicit?] Mendacium igitur est, quòd in Apologetico dicit: [se nusquam scripsisse, Christum vt Hominem cultu Latriæ adorandum esse.]

Thef. 274.

129. Nam si caro Christi, seu Christus vt Homo (nobis enim synonyma sunt) VNA ADORATIONE cum Deitate ADORATUR: cultu certè latriæ adoratur. Hoc quia Iesuita negat: non tantum sibi ipsi, sed etiam Concilio Ephesino contradicit, eiusque Anathematismum incurrit, dum carnem Christi, seu Christum secundum Humanitatem, non VNA ADORATIONE cum Diuinitate, sed diuersa quadam, & inferiori gradu venerationis (vt Iesuita loquitur) adorandum contendit.



Diuerſitas adora-  
tionis Iefuiticæ diui-  
dit vnum Christum  
in duos.

Num. 57.

Christus vt homo  
ſecundum Iefui-  
tam non eſt ad-  
orandus.

130. Concilium namque Ephesinum definiuit contra Ne-  
ſtorium, eiusque perditam progeniem, Iefuitas & Caluinistas:  
» [ Christum Deum & hominem VNA ADORATIONE  
» adorandum eſſe; non duabus, aut diuerſis.] Diuerſitas enim  
» Adorationis (quam Iefuita propugnat) vnum Christum in  
» duos diuidit, quorum alter vt Deus cultu latriæ, alter vt homo  
» inferiori quodam gradu venerationis honorandus ſit.

131. Hæc cum in priori Diſput. Buſæo obieciſſem; nullo ver-  
» bo ea diluit, ſed dicit: [ Me mentitum: quandoquidem in ver-  
» bis à me deſcriptis nunquam inueniat, Christum vt homi-  
» nem eſſe adorandum. Inuenio, inquit, carnem Christi eſſe  
» adorandam, hominem Christum eſſe adorandum, ſed non in-  
» uenio, Christum vt hominem, vel quod idem eſt, ſecundum  
» Humanitatem eſſe adorandum.]

132. Quis verò ſanæ mentis non intelligit, hæc eſſe ſynony-  
» ma: [ Christus vt homo, ſeu Christus homo, caro ſeu Huma-  
» nitas Christi, & Christus ſecundum carnem ſeu Humanita-  
» tem ſuam?] Nuda enim vox CHRISTVS ſimul Deum & ho-  
» minem ſignificat. Cum verò dico: Christus homo, vel Christus  
» vt homo, Christus Deus, vel Christus vt Deus; de termino, ſe-  
» cundum quam naturam de Christo ſermo fiat.

133. Si igitur caro, ſeu humanitas Christi, ex benigna con-  
» ceſſione Iefuitæ adoranda eſt: rectè quoque dicetur, Christum  
» ſecundum carnem, ſeu Humanitatem, ſeu Christum vt homi-  
» nem eſſe adorandum; non quia ſimpliciter caro, Humanitas,  
» vel homo, ſed quia hæc caro & hic homo in communionem di-  
» uinæ perſonæ & gloriæ aſſumptus eſt.

134. Deinde Scholis tuis in hoc per omnia conſentimus:  
» [quod ſicut longè inter ſe diſtint hæc duo pronuntiata: Filius  
» Dei eſt paſſus, & mortuus: Et, filius Dei vt Deus (videlicet ra-  
» tione naturæ & eſſentiæ ſuæ) eſt paſſus & mortuus: ſic longè di-  
» ſtare & hæc, Christus homo eſt cultu latriæ adorandus: Et Chri-  
» ſtus homo, vt homo, (id eſt, ſecundum proprietatem Naturæ &  
» eſſentiæ ſuæ) eſt cultu latriæ adorandus. Et ruruſ: Caro Chri-  
» ſti VNA ADORATIONE adoratur cum Deitate: & CARO  
» Christi vt caro, VNA Adoratione adoratur cum Deitate.] His  
» addit

addit Busæus: [Prius vtriusque ordinis pronunciatum **V E -** **R V M** est: posterius **F A L S V M**.]

135. Idem planè nos sentimus. Cæterùm ad hoc Busæo respondendum erat, quòd arguimus: [Si verum sit illud Iesuiticum, quòd nec **R E**, nec **N O M I N E**, &c. Tum falsum esse, quòd hîc & alibi scribit, Filium Dei esse passum, & mortuum; carnem Christi **V N A A D O R A T I O N E** cum Deitate adorari.] Pati enim & mori, est proprietas naturæ humanæ: quæ Filio Dei secundùm pronunciatum illud impium tribui non potest. Et sic de Adoratione quoque sentiendum.

136. Hîc Busæo saltandum erat: sed tristis sedet, impietatem suam in Sociû tacitè agnoscens. Verùm, cum sua blasphema societate perire mauult, quàm errorem impium apertè confiteri, ei renunciare, & Christo homini gloriam debitam dare.

137. Vbi Iesuita quoque obiter notare velit, Se per inscitiam falli, & fallere. Non enim distantes, sed æquipollentes propositiones sunt: [Christus homo est cultu latriæ adorandus: & Christus vt homo est cultu latriæ adorandus.] Nam sicut in priori propositione vox [Homo,] ita quoque in posteriori [vt Homo] determinat vocem Christus, & declarat, secundùm quam Naturam de ipso verba fiant.

138. Nec, vt falsò existimat Busæus, reduplicatiua hæc est: Christus vt Homo est adorandus, sed hæc: Christus homo, vt homo, hoc est, secundùm proprietatem Naturæ suæ est adorandus. Quòd falsum est. Opinor Iesuitam errorem agnoscere.

139. Mendacium insuper est, quòd Thef. 277. tibi tribuam: [Christum **H O M I N E M** duabus diuersis adorationibus adorandum, contra Con. Ephesini Canonem.] Sed hæc mea verba sunt: [Quemadmodum **V N V S** Christus, Deus & homo, **V N A** confidentia honoratus est, non duabus, ita vt vna & propria tributa sit corpori, alia verò iterum & propria Deo Verbo: (sicut Cyrillus in defensione Anathematismi 8. scribit) ita quoque **V N A** adoratione, & non duabus diuersis adorandus est: sicut hîc Iesuita insanit & blasphemat, Christum vt hominem cultu latriæ, (qui soli Deo debeatur) non esse adorandum.]

Symbolum Patrum Antiochenorum.

140. Pro sua quidem impietate coloranda, citat verba Patrum quorundam Antiochenorum, quæ sic habent: [Confitemur Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Totum Deum, & totum Hominem: Totum Deum etiam cum corpore, sed non secundum corpus Deum: Totum hominem etiam cum Diuinitate, sed non secundum Diuinitatem hominem: Totum etiam adorabilem cum corpore, sed non secundum corpus adorabilem: Totum adorantem etiam cum Diuinitate, sed non secundum Diuinitatem adorantem: Totum Increatum etiam cum corpore, sed non secundum corpus increatum.]

De genuino illius sensu.

141. Hæc verò secundum Scripturæ, & aliorum Orthodoxorum Patrum consensum accepta, blasphemix Iesuiticæ nihil patrocinantur. Quæ enim pia mens non intelligit, hunc esse illorum sensum; quòd Christus secundum corpus, vel secundum Humanitatem, vel qua Homo est, non sit adorabilis suâ naturâ, & per se? quo modo Christus tantum vt Deus est adorabilis? Et hoc solum dicunt Patres illi; quid Christus secundum proprietates duarum Naturarum sit vel non sit. Interim si Catholici & Orthodoxi esse velint: negare nō possunt, Christum non tantum secundum Diuinitatem, sed etiam secundum Humanitatem adorandum. Nam hoc clarissimè, secundum Scripturam, cæteri Orthodoxi Patres docent.

142. Quòd si Antiocheni isti dixissent: [Christum vt hominem, vel secundum Humanitatem, vel qua Homo est, simpliciter nō esse adorandum:] (quod Busæus ipsis affingit) Anathematismum Conc. Ephesini effugere non potuissent.

Sensus Anathematismi 8. Con. Ephes.

Primogenitus, id est, Christus vt Homo adorandus.

143. Etsi enim in Concil. Ephesini Anathematismo 8. hæc verba non extent, [Christus vt Homo, vel secundum Humanitatem, eadem adoratione cum Deitate adorandus est:] hunc tamen eius sensum esse, ostendit Cyrillus in eiusdem declaratione, in qua hæc verba leguntur: [scriptum est autem, cum induceret primogenitum in orbem, dicit: & ADORENT eum (primogenitum) omnes Angeli Dei. Factus est autem vnigenitus PRIMOGENITVS, quando Homo nobis similis factus est.]

144. Se-

144. Secundum hoc Scripturæ testimonium, quo Cyrillus suum Anathematismum declarat, Christus etiam Homo, non tantum Christus Deus, adorandus est. Nam sicut per unigenitum Christus secundum Deitatem significatur: ita per primogenitum Christus secundum Humanitatem intelligitur. Sic enim Cyrillus seipsum explicat in libro de recta fide ad Theodos. [Inseparabilem, inquit, Unionem seruire consueuimus, eundem esse credentes & unigenitum & primogenitum. Unigenitum quidem ut ex Deo Verbum, & ex substantia eius procedentem; primogenitum verò, secundum quod fuit Homo, & in multis fratribus.] Et in defensione eiusdem Anathematismi contra Orientales extant verba Athanasij: [Si quis dicit, non adorandam Domini nostri carnem ut Hominis, & non adorandam Domini & Dei carnem, hunc Anathematizat sancta & Catholica Ecclesia, Diuino obtemperans Apostolo, qui dicit: Si quis vobis Euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit.]

145. Ex his intelligis Busæe, te vnâ cum socijs Iudæ, nondum effugisse Concilij & Ecclesiæ Catholicæ anathema, sed eo adhuc fortissimè constrictum teneri. Et, si Patres illi Antiocheni contra expressam Scripturam, & Patres Orthodoxos (ut tu contendis) voluissent, [Christum ut Hominem simpliciter non esse adorandum:] eis similiter de Ecclesiæ Catholicæ sententia Anathema dicendum foret: Nobisque Scripturæ sacre, & aliorum Patrum, ut Cypriani, Athanasij, Gregorij Nazianzeni, Didymj Alexandrini, Augustini, Chrysostomi, Cyrilli, Theophylacti, Damasceni, &c. (qui omnes adorationem carnis Christi, seu qua Homo est, apertis verbis confirmant, & diuersum sentientibus expressè contradicunt) Autoritas potior esset, quàm obscurorum quorundam Doctorum, de quorum nominibus, vel scriptis, nobis nihil constat.

146. Repetit Busæus impietatem suam: [Christum ut hominem adorandum nunquam sensi, nec sentire videri volui.] Cur ergo Thef. 78. & hinc scripsisti, carnem Christi vna adoratione cum Deitate adorari? Quod nihil aliud est, quàm Christum

Athanas. de adoratione carnis Christi.

Patres Adorationem carnis Christi confirmantes.

Blasphemia Iesuitæ.

stum etiam vt hominem, non solum vt Deum, adorandum esse.

Num. 59. NB. Secundum Scholasticos Theol. Christo vt Homini ALIVS cultus, quam latriæ debetur, INFERIOR videl. 147. Post hæc, Theologos scholasticos, Patres Antiochenos, & Iesuitas, Nestorianos facit, scribens: [Nec Theologi Scholastici aliud docent] (quàm quòd Christus vt homo adorandus non sit.) [Etiam si enim Christo vt homini ALIVM CVLTVM quàm LATRIÆ doceant deberi; dicunt tamen:] (more impostorum) [Christum Deum & hominem EADEM adoratione, nempe latriæ, adorandum.] Quomodo verò hoc, nisi veteratoriè dicunt, vt lectorem deludant? cum Christum vt hominem isto modo adorandum negent?

148. Nec aliud (inquit Busæus) sentire potuerunt Patres Antiocheni. Hoc enim ipso, quòd inficiantur Christum secundum corpus adorabilem: INFERIOREM ALIQVEM venerationis gradum secundum corpus naturâ suâ ei deberi, fateri debent: licet hoc genus venerationis VSVRPARE NON SOLEAMVS, ne videamur negare, Christum esse Deum.

Iesuitæ discerpunt Christum.

149. Hoc loco fatetur Iesuita, se cum socijs suis INFERIOREM quendam venerationis GRADVM Christo secundum Humanitatem tribuere. Quod re ipsa est, vnum Christum Deum & hominem, vna adoratione latriæ venerandum, in duos (more Nestorij) diuidere: quorum Christus vt Deus cultu latriæ adorandus, Christus verò vt homo inferiori quodam Venerationis gradu honorandus sit.

150. In cuius impietatis communionem Patres Antiochenos pertrahere conatur; qui tamen procul dubio non simpliciter, sed secundum quid negarunt, Christum vt hominem esse adorandum; sensu nimirum prius dicto. Illud enim Scripturæ & Patribus Orthodoxis, quos prius nominauimus, ex diametro repugnat.

Matth. II. NB. CHRISTVM vt hominem quoque adorandum. 151. Quomodo enim is adorandus & inuocandus non est, qui dicit: [Omnia mihi tradita sunt à Patre meo?] (videlicet secundum Humanitatem, totius Orthodoxæ vetustatis consensu.) [Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?] Item, de quo ad Heb. I. ex Psalmo 96. extat: [Et adorent eum (primogenitum) omnes angeli Dei?] De quo ad Phi-

ad Phil. 2. scribitur: [Quapropter & Deus illum (qui patri cœ-  
lesti obediens factus est vsque ad mortem crucis) in summam  
extulit sublimitatē, ac donauit ei nomen, quod est supra omne  
nomen, vt in nomine Iesu (videlicet crucifixi, mortui, & exal-  
tati) OMNE GENVS SE FLECTAT, cœlestium, terre-  
strium, & subterraneorum: omnisque lingua cōfiteatur, quod  
Dominus Iesus Christus ad gloriam Dei patris.] Quomodo  
non adorabimus eum ad dextram Dei omnibus creaturis im-  
perantem, quem discipuli in cœlum ascendentem adorarunt?  
Luc. vlt. Et quem Stephanus à dextris Dei non vt Deum (qui  
videri non potest) sed vt hominem stantem vidit, eumq; vt ho-  
minem etiam inuocauit, & dixit: Domine Iesu, suscipe spiri-  
tum meum?

152. Hæc cum certa & immota sint: quomodo me contra Pa-  
tres Antiochenos tueri non possum? quomodo ex Euangelistis  
(Matth. & Luca) & ex Apostolis non probo, Christum secun-  
dum humanitatem esse adorandum? hocq; non esse commen-  
titium & falsum dogma: vt tu impijssimè blasphemas?

153. Ad eundem modum verba Cyrilli in altero libro ad Re-  
ginas: [Vnus itaque est Christus, qui quidem vt homo adoratur,  
vt Deus autem ab vniuersa creatura adoratur] non simpliciter,  
sed secundum quid accipienda sunt: quod nimirum Christus  
vt homo ex proprietate suæ Naturæ adoret, vt Deus autem ad-  
oretur. Idque ex alijs ipsius dictis liquet, in quib. carnem Chri-  
sti adorabilem facit.

154. Sic enim scribit Dialo. 6. de Trinitate: [Quoniam au-  
tem non dubitatur, sed verè benè congruebat, quod in nouissi-  
mis seculi temporibus factus est Homo: & propter hoc P R I-  
M O G E N I T V S aduentitiam habet gloriam, etiam vt A D-  
O R E T V R.] Et lib. i. de recta fide ad Reginas, citat Athana-  
sium: [Confitemur etiam, inquit, esse ipsum Filium Dei &  
Deum secundum spiritum, Filium hominis secundum car-  
nem: non duas naturas vnum filium, vnã quæ adoratur, &  
vnã quæ non adoratur: sed vnã naturam Dei Verbi incar-  
natam, ET ADORABILEM CVM CARNE SVA,  
VNA ADORATIONE: neq; duos filios, alium quidem Fi-  
E lium

Cyrillus: Christum  
vt hominem ad-  
orare.

Cyrillus carnem  
Christi adorabi-  
lem facit.

Athanas.

lium Dei verum, & qui adoratur, alium autem ex Maria, qui non adoratur, secundum gratiam Filium Dei factum, sicut & Homines.] Et paulò post: [Si quis dicit: Inadorabilem Domini nostri carnem, vt Hominis: Hunc Anathematizat S. & Catholica Ecclesia.]

Num. 60.  
Cyril. deprauatio.

155. Falsum ergo est quod scribis: [Ex Cyrilli quoq; sententia, Christum vt Hominem **SIMPLICITER** non adorandum.] Et huc per vim & calumniam allegas verba ipsius ex lib. de recta fide ad Theodos. quibus efficere conetur, [Christum Deum & Hominem nō adorandum **NISI** tanquam **DEVM.**] Verba Cyrilli sunt: [Vide igitur Rex Christianissime, quòd necessarijs Syllogismis quasi cogamur adorare Verbum, quod ex Patre natum, & in nostra figura apparuit; cū duorū in Unitatem concursus nihil habeat, quod satis sit ad obscurandum, ita vt propter solius Humanitatis suspicionem offendamur.] In his Cyrillus non habet: [quòd Christus **TANTVM VT** Deus sit adorandus, vel non adorandus, **NISI TANQVAM DEVS.**] Hæc tua Satanica deprauatio est ex odio Maiestatis Christi profecta.

Quomodo Cyrillus  
Christo Homini adorationem neget.

156. Similiter per vim torfisti sequentia verba Cyrilli, ex eodem libro: [Num igitur tanquam hominem adorabimus Emanuelem? Absit. Deliramentum enim hoc esset, & deceptio, ac error. In hoc enim nihil differremus ab his, qui creaturam colunt vltra conditionem, qui scilicet veritatem mutauerunt in mendacium.] Quòd enim Cyrillus hoc loco non simpliciter Christo Homini, sed quatenus de sententia Nestorij suâ propria persona subsistere, & purus Homo esse fingitur, adorationem neget, statim sequentibus verbis docet. [An nōn, inquit, & nos ipsi eadem, quæ prædicti, facere, & sentire censebimur, Dei gloriam in mendacium mutant, in similitudine imaginis corruptibilis hominis, **VELVT HOMINI PVRO, & VNI EX NOBIS** Emanuelli adorationem adaptabimus?] Ad hanc explicationem verborum Cyrilli Busæus nullo verbo respondet; suam fraudem detectam agnoscens.

157. Quòd autem homini in Deum assumpto, & vnâ personam cum Filio Dei constituenti, Cyrillus adorationem non dene-



deneget, paulò antè probatum est. Quod etiam hæc verba eiusdem libri ad Theodos. cōfirmant, cū dicit: [Opinor Dei Verbum post assumptam carnem omninò non liberandum ab humanis: neque etiam HUMANITATEM, si in Christo intelligatur & dicatur, DIVINA GLORIA priuandam.] Si verò Humanitas in Christo, seu quod idem est, Christus vt Homo, non est adorandus; diuina certè gloria priuatur.

158. Sed quis hic furor Satanicus est in gloriam Christi hominis; quòd cum turpissimi Idololatræ Iesuitæ, Diuinum honorem sanctis defunctis, nos ignorantibus, nec iuuare valentibus tribuant, inuocando eos; eum tamen Christo Homini, ad dextram Dei regnanti, negent?

159. Quia verò Iesuita vidit, suam execrandam doctrinam de Christo secundum Humanitatem non adorando, vel maxime euerti & damnari testimonijs Athanasij, quæ Theos. 143. & 153. adduxi: eludere & Eutychnianismi ea suspecta reddere conatur, euomens: [Si hic sermo in fide rectus & inculpatus tibi videtur: necesse est, vt sis Eutychnianus. Quia Eutychniani confitentur, non duas Naturas, vnum filium. Rectius dixisses, vel locum è Græco non rectè conuersum; vel impropriam, vt in margine notatum, esse locutionem.]

160. Hic an malitiam, an stupiditatem Iesuitæ accusem, dubito: quòd Orthodoxi Patris planissimum & verissimum sermonem Eutychnianismi insimulare nō veretur. Quid enim planius, quàm quod Athanas. confitetur, se vnâ cum cæteris Orthodoxis Patrib. non sic confiteri duas Naturas vnū filium esse, (sicut Iesuitæ confitentur) vt vna sit quæ adoretur, & altera quæ non adoretur: sed vnam Naturam Dei Verbi incarnatam, & adorandam c v m carne sua vna adoratione?

161. Hic nullus Eutychnianismus, nulla impropria locutio, nulla mala conuersio, vt excæcati Iesuitæ malè censent: qui hæc isti loco imputant, quia suum Nestorianismum eo disertè damnari sentiunt.

162. Et quæ hæc nequitia est, sermonem istum Eutychnianum dicere: cū non ignoret Busæus, Athanasium in verbis immediatè præcedentibus (cū dicit: Confitemur etiam, esse

E 2

illum

Num. 62.

N B. Iesuita improbat sermonē Athanasij, velut Eutychnianum.

Sermo Athanasij planissimus contra Iesuitas.

» illum filium Dei & Deum secundum spiritum, Filium homi-  
 » nis secundum carnem.) Item in sequentibus: Vbi naturam Dei  
 Verbi incarnatam C V M C A R N E S V A adorandam dicit:  
 Eutychianismum excludere?

163. Non minus plana sunt sequentia verba Athanasij: [Si  
 » quis dicit, non adorandum Domini Nostri carnem vt Homi-  
 » nis, & non adorandam vt Domini & Dei carnem, hunc ana-  
 » thematizat S. & Catholica Ecclesia.]

Num. 63. 164. Ad hæc quid peruersus & reprobus Iesuita? pro suo in-  
 » genio inuertit verba planissima; & mentitur, eorum hunc sen-  
 » sum esse: [Si quis negat Domini nostri carnem adorandam, eò  
 » quòd N O N sit Hominis caro; eum anathematizat S. & Catho-  
 » lica Ecclesia.] Et conatur præcedentibus verbis Athanasij hanc  
 suam peruersionem verisimilem reddere, vbi S. pater sic ait:  
 » [Si quis Domini nostri carnem supernè esse dicit, & non ex vir-  
 » gine Maria; vel conuersam Diuinitatem in carnem, vel confu-  
 » sam, vel immutatam, vel passibilem Domini Deitatem: vel  
 » non adorandam Domini Nostri carnem vt hominis, &c.] Sed  
 hæc ipsum nihil iuuant. Nam de diuersis opinionibus falsis,  
 quas commemorat, & quæ nihil commune habent, loquitur.

165. Deinde, quia Cyrillus Anathematismum suum defendit: certum est, eundem esse defensionis sensum, qui est Anathematismi. In hoc autem non agit contra eos, qui negabant, carnem Christi esse hominis, hoc est, ex virgine Maria: nec contra eos, qui comminiscabantur, Diuinitatem Christi conuersam in carnem; sed contra Nestorium, eiusque progeniem, Iesuitas, qui duplici adoratione Naturas Christi in duas personas diuidunt. Contra hos vt Anathematismus, ita quoque verba Athanasij directa sunt.

166. Posthæc, non ego, sed inueterata tua vanitas cogit te mihi mendacium, per summam impudentiam, contra manifestam veritatè imputare, quasi repetam, te dicere in Thef. 78.  
 » [Christum vt hominem esse adorandū adoratione L A T R I Æ  
 » cum Diuinitatè.] Imò expressè tibi tuam detestandam impie-  
 » tatem obijcio, & scribo, te addere: [Non cultu latriæ.] Tu er-  
 » go perfrictæ frontis homo in mendacio deprehenderis.

Thef. mea 286.

167. Scri-

167. Scripsit Busæus: [Quia Unio duarum Naturarum facta fit in persona Verbi, non in natura altera, vel vtraque: hinc fieri, vt naturæ vicissim, vel inter se **TANTVM COMMVNEM** habeant Verbi personam.]

168. Respondi: Hoc, quod putet Busæus, non sequi. Idque probavi clarissimè: (quod tamen cæcus Iesuita me fecisse negat.) Quia enim ipse fatetur, personam Verbi vtrique Naturæ communem, eamq; Naturæ humanæ **COMMVNICATAM** esse: necesse est, vt etiam Natura Verbi, & cum ea omnes proprietates illius Essentiales, suo modo Naturæ assumptæ communicatæ sint. Quandoquidem persona Verbi ab ipsa Natura diuina etiam Busæo confitente, fol. 45. Apolog. realiter distincta non sit: **ET SIC VT PERSONA ABSQVE NATVRA VERBI, NATVRÆ HVMANÆ VNIRI NON POTVIT, ITA NEC COMMVNICARI.** Quia enim nulla realis, sed tantum formalis distinctio inter personam & Naturam Verbi, existit: necesse est, vt vno communicato, alterum quoque communicetur.

169. Ad hæc quid Busæus? Nescit, quò se vertat: nec ea diluere potest. Dicit: [Uniri duas Naturas in persona tantum: ergo in ea tantum habere communionem: Unionem enim sequi communionem.] Sed quid hoc (quod nemo Nostrum negat) contra meam probationem? Ne tamen nihil ad mea respondisse videatur, nugæ potius agere, quàm omninò tacere, pro suo versuto ingenio, voluit. [Respondes, inquit, personam diuinam à Natura sua realiter non distingui. Quid tum? Num ergo vis Unionem factam in Natura?] Audisti dudum, me hoc negare. [Num vis, vti reuera es, Eutychianus fieri? Nam persona, vt tu argumentaris, re eadem est cum Natura.] Intelligit eruditus lector, Busæum in veris opponendis deficientem, nugæ agere, conuicia proijcere, & ex eo, quod ipse quoq; omnesque Scholastici verum esse confitentur (personam videlicet à Natura realiter non distingui) probare velle, me Eutychianum esse. Vt autem quærentis stupori respondeam, & quod dixi repetam: Hoc volo, quòd persona Dei Verbi, absque sua Natura,

Homini assumpto non potuerit communicari, propter rationem dictam.

» 170. Addit: [Si verò non sequitur, Vnionem factam esse in  
» Natura: cur sequitur in Ea, vel proprietatib. eius, factam com-  
» munionem?] Scit Busæus, à nemine nostrum hoc assertum esse: sed placuit ei ludere cum suo figmento, ne ad nostra planè mutus fuisse videatur.

Num. 64. » 171. Quod scribit: [Si mediatè tantùm in Natura Vnio facta  
» est; mediatè quoque erit communio: ac proinde nulla erit  
» communicatio proprietatum inter Naturas, nisi mediante per-  
» sona.] Hoc ipsum & nos sentimus, & docemus.

Vox Homo determi-  
nat vocem Christus.

» 172. Ad exemplū verò quod attinet: [Christus homo est æter-  
» nus, & increatus:] distinctio adhibenda est. Nam propriè lo-  
» quendo, vox Homo denotat Naturam humanam, eaq; deter-  
» minat vocem CHRISTVS; & significat de Eo vt Homine ser-  
» monem esse: quod tamen de præsentī exemplo intellectū nolo. Sicut vox Deus, voci CHRISTVS addita, determinat hunc secundum Deitatem. Hoc modo propositio ista vera non est: [Christus Homo, seu, Christus secundum Humanitatem est æternus:] sed hæc: Christus est æternus, Christus Deus est æternus. Deinde verò vox Homo, significat etiam nonnunquam personam: vnde dicere possum, hic homo est æternus: quatenus videlicet per Vnionem personalem Deus est. Neque tamen semper suppositum cum natura significat: sed, vt dixi, plerumque determinat personam secundum Naturam humanam. De quo infinita propemodum exempla Patrum adduci possunt. Vt cum Damascen. lib. 3. cap. 7. de Orthodoxa fide inquit: Filius Dei factus est Homo ex muliere.] Hic Homo non significat personam, sed Naturam ex muliere assumptam.

Homo, non semper  
significat personam,  
sed limitat hanc.

Num. 65. » 173. Cùm igitur Iesuita dicit: [Ex Vnionē in persona Verbi  
» fieri, vt quæ vnus sunt Naturæ, dicantur etiam pertinere ad al-  
» teram, qua pertinent ad propriam alterius Naturæ hypostasim:] cumq; hoc probat ex Damasc. lib. 3. de Orthodoxa fide cap. 4. concedimus id verum esse, nō tamen simpliciter, sed in primo gradu seu genere communicationis; vbi propriè loquendo, vnus naturæ propria non alteri Naturæ, sed personæ secundum alte-

Primus gradus com-  
municationis.

alteram naturam denominatam tribuuntur: & additur particula distinctiua, docens, secundum quam Naturam proprium illud personae tribuatur.

174. De quo genere attributionis Damascenus loco dicto scribit: [De hypostasi verò, siue ex vtraque, siue ex vna Naturarum eam nominamus, vtriusque Naturae propria illi adijcimus. Nam Christus, quandoquidem vtrumque simul est, & Deus & Homo dicitur, & creatus & increatus, & passibilis & impassibilis. Et quando ex vna Naturarum Filius Dei, & Deus nominatur: suscipit sustentatae naturae, id est, carnis propria, Deus passibilis nominatus, & Deus gloriae crucifixus, non secundum quod Deus, sed secundum quod homo idem est. Et quando dicitur Homo & filius Hominis, suscipit diuinae substantiae propriae & glorificationes, puerulus ante secula, & Homo sine principio; non secundum quod puer & homo, sed secundum quod Deus ante secula existens, factus est in nouissimis puer.] Secundum haec verba Damasceni, non naturis, sed personae alterutrius Naturae vocabulo denominatae propria Naturarum adijciuntur. De quo genere attributionis, quae personae fit, nobis sermo non est.

175. Quod verò nullum aliud genus communicationis sit: quodque [vnius Naturae propria NON ALIO SENSU ad alteram pertineant, quam quia pertinent ad propriam alterius Naturae hypostasin:] hoc negamus: neque hoc dicit Damascenus; qui etiam de alio quodam genere communicationis agit, quod ipse lib. 3. cap. 9. *Τῶν οἰκείων ἀνχημάτων μετέδοσιν*, id est, propriarum excellentiarum (de diuinis loquitur) communicationem vocat. Et lib. 4. cap. 19. [*θεώσιν, καὶ λόγωσιν, καὶ ὑπερῷωσιν τῆς σαρκὸς*, id est, Deificationem, verbificationem, & superaltationem carnis, dicit: Carni diuitias adgenitas ex Vnionem & cognationem ad altissimum Deum Verbum insinuantes.] Nam, inquit, propter Vnionem secundum hypostasin, caro Deificari dicitur, & Deus heri, & ὁμοθεῶς Verbo.

Communicatio proprietatum diuinarum, quomodo à Damasceno nominata.

176. De hoc genere praecipue cōtrouertitur; secundum quod Naturae humanae, seu Homini assumpto (non personae) diuina propria attribuuntur, causa Vnionis hypostaticae cum persona & natura Dei Verbi.

177. Nos

» 177. Nos dicere: [Naturam humanam I N S E] (tanquam  
 » in subiecto) [reuera habere proprietates Diuinas: & propieta-  
 » tes Humanas reuera I N Natura diuina esse, ita vt altera Na-  
 » tura alteram realiter afficiat:] hoc cum impudentissimū men-  
 » dacium sit; nec istud ex nostra doctrina sequitur, [quòd Natu-  
 » ra quoque diuina sit passa & crucifixa] I N S E & per se.

Passionem Christi  
 ad eius quoque Di-  
 uinitatem pertinere.

» 178. Licet autem hoc verum non sit; non tamen dicere pos-  
 » sumus, passionem & mortem Christi ad ipsius Deitatem nihil  
 » pertinere. Hoc enim si esset; Paulus scribere non potuisset, Nos  
 » D E O reconciliatos per mortem Filij eius. Nec Deus in sua Na-  
 » tura quicquam mutatus est, etsi realiter passus & mortuus di-  
 » catur: quia in Natura assumpta, quæ ipsius propria facta est, il-  
 » lud sustinuit. Et quia in propria carne passus est Deus, qui à sua  
 » Natura realiter non differt; quomodo ad Naturam diuinam  
 » passio non pertinet? Cum hac passioni Christi infinitum & suf-  
 » ficiens meritum pro peccatis totius Generis humani, conferat?  
 » Nisi ergo passioni Christi hoc meritum detrahere vnà cum Ie-  
 » suitis velimus; negare non possumus, passionem & mortem  
 » Christi ad diuinam quoque eius Naturam pertinere. Nec ta-  
 » men inde sequitur; mutationem in Deitatem cecidisse: quia in  
 » se passa non est.

» 179. Præterea, quamuis Iesuita neget mutuam communi-  
 » cationem Naturarum & proprietatum in persona Christi: di-  
 » cit tamen, has enunciationes verissimas esse: [Iesus Mariæ Fi-  
 » lius est Deus, æternus, immortalis, vbique: Deus est Homo, na-  
 » tus, crucifixus:] Sed cum hac declaratione: [Quia, inquit, vo-  
 » cabulis concretis significamus non Naturas, sed personam.  
 » H O M O enim idem est, quod habens Humanitatem: & D E V S,  
 » quod habens Deitatem. Cum verò vna eademque persona sit  
 » habens & Diuinitatem & Humanitatem: efficitur, vt & hæc  
 » propositio vera sit, Homo est Deus, id est, persona habens Hu-  
 » manitatem, habet & Deitatem. Et hæc: Deus est Homo, id est,  
 » persona habens Diuinitatem, habet & Humanitatem.]

Vox H O M O, quid  
 significet Iesuitis.

» 180. Dixi, hanc declarationem, stolidam, peruersam, ab-  
 » surdam, & hæreticam esse, quam ne vno Scripturæ, aut Patrum  
 » testimonio probet. In his enim propositionibus: [Homo est  
 » Deus,

Deus, Deus est Homo.] Si vocabulum Hominis significet personam habentem Humanitatem: seu, (vt Thef. 16. & 17. explicatiùs dicit:) Diuinam personam Filij Dei in Natura humana subsistentem: tum verba illa, [Homo est Deus] hanc habere subiectam sententiam: [Persona Filij Dei habens Humanitatem, seu in Natura humana subsistens, est persona Filij Dei habens Deitatem.] Et propositionis: [Deus est Homo:] hunc sensum fore: [Persona Filij Dei habens Deitatem, est persona Filij Dei habens Humanitatem.] Quam stultam, insulsam, & absurdam interpretationem nullo Scripturæ, aut antiquitatis Orthodoxæ testimonio probare possit. Item, secundùm hanc Iesuitæ expositionem, propositionis huius: [Deus factus est Homo:] istum sensum fore: Deus, id est, persona Filij Dei habens Deitatem, facta est Homo, id est, persona Filij Dei habens Humanitatem: quod hæreticissimè dictum sit. Et cùm secundùm Concilium Ephesinum dicitur: [Homo factus est Deus] sensum fore: [Persona Filij Dei, habens Humanitatem, facta est persona, habens Deitatem:] quod æquè absurdum & hæreticum sit.

181. Num verò Iesuita has hæreticas absurditates à se depellit? & doctrinam suam veram esse, meam autem falsam, ostendit? **NIHIL** horum: sed de refutatione, & legitima defensione desperans, conuiciatur, & perfricta fronte mentitur: [Me in suam doctrinam mirè debacchari; & quicquid hic **VANIS-SIME** obijciam, iam antè à me] (quod verum est) [obiectum esse in Assertionem meam ad Thef. suam 13. 15. & 16. & ibidem **FVSSISIME** à se dilutum; quò lectorem remittat, ne acta agat.]

182. Si verò lector has Theses cum Apologia diligenter perlegerit; intelliget, se à Iesuita impostore turpiter delusum, & nihil hinc obiectorum ab ipso dilutum esse. Et quamuis respondere non possit: tamen non pudet eum suas nugas repetere, quod propositionis, [Homo est Deus:] hic legitimus sensus sit: [Is, qui habet Humanitatem, est idem cum eo, qui habet Deitatem.] Ergo cùm Paulus 1. Cor. 15. dicit: [Factus est extremus Adam seu Homo in Spiritum viuificantem, seu Filium Dei:]

F horum

De proposit.  
DEVS factus  
est Homo.

horum verborū secundū doctrinā Iesuiticā hic sensus erit:  
 » [Facta est persona filij Dei, habens Humanitatē, in personā filij  
 » Dei, habentem Deitatem] quo quid magis insanū dici potest?

Num. 72.

183. Quamuis autem hæretica absurditas, & insana stolidi-  
 » tas ad oculum ipsi demonstrata sit; eam tamen non agnoscens,  
 » dicit: [Meridiculè postulare Scripturæ, Patrūque testimonia,  
 » pro confirmanda hac declaratione (insulsissima,) vbi sufficere  
 » debuerit puerorum Dialectica. Nec enim Scripturam aut Pa-  
 » tres artem cōdidisse conficiendi vel exponendi propositiones.]  
 » Scilicet, hoc summum mysteriū, quod istis propositionib. con-  
 » tinetur, [Deus factus est Homo, & Homo Deus:] non Scriptu-  
 » ræ testimonijs, sed puerorum Dialectica confirmandum est.

184. Cæterū, quòd vox [Homo] interdū personam signi-  
 » ficet, non nego. Ideo nihil contra me, quod ex Philip. Melanth.  
 » Damasceno, & alijs affert. De propositionibus dictis cōtrouer-  
 » sia est: in his nō meam cauillationem (vt Busæus vanissimè ca-  
 » uillatur) sed explicationem Iesuitæ, insulsissimam, indoctissi-  
 » mam, & hæreticissimam esse, cognoscat lector, qui vtriusque  
 » scripta absq; præiudicio legerit. Remittit is me ad pag. 17. Apo-  
 » logetici: Vbi [accuratè de hac re disputarit.] Ipsum verò suo  
 » more mentiri, cuius perlegenti eam planum est.

185. De propositionibus item, inquit, [Deus factus est Ho-  
 » mo: & Homo factus est Deus: quas hîc artexis, lege, quæ à me  
 » dicta sunt in Apologetico, fol. 27. & 28.] At in fol. 27. nihil de  
 » illis habetur: sed duntaxat de propositionibus, [Homo est De-  
 » us: & Deus est Homo] agitur.

186. In folio 28. hoc vnum ex Thoma lege: [Terminus,] in-  
 » quit, [in subiecto positus, tenetur materialiter, id est, pro sup-  
 » posito: positus verò in prædicato, tenetur formaliter, id est, pro  
 » natura significata. Et ideò, cū dicitur: Homo factus est Deus:  
 » ipsum FIERI non attribuitur humanæ Naturæ, sed supposito  
 » humanæ Naturæ, QVOD EST ab æterno Deus: & ideo non  
 » cōuenit ei fieri Deum. Cū aut dicitur: Deus factus est Homo:  
 » factio intelligitur terminari ad ipsam humanam Naturam. Et  
 » ideo propriè loquendo hæc est vera: Deus factus est Homo, sed  
 » HÆC EST FALSA: Homo factus est Deus.]

187. Quid



187. Quid autem his nugis de propositione, [Homo factus est Deus] aliud agit Thomas, eumque sequentes Iesuitæ: quàm quòd Orthodoxos Patres, & ipsam Scripturam S. falsitatis arguunt? Scribit enim Gregorius Nazianzenus in Sermone de Paschate: [Naturam assumptam **I P S A D E I T A T E** vnctam: & **F A C T A M** esse **I D**, **Q V O D** ipsam vnxit, & quod audeat dicere *ὁμοθεον*.] Damascen. lib. 4. Orthod. fidei cap. 19. [propter Vnionem secundum hypostasim, & **C A R O** Deificari dicitur, & **D E V S F I E R I**: & Deus Verbum incarnari, & Homo fieri dicitur.] In Epist. Synodali ad Nestoriū; Homo Verbum factus dicitur. Et Scriptura expressè habet: [Factus est extremus Adam in Spiritum viuificantem.]

Veram esse proposit.  
Homo factus est  
Deus.

188. Nugæ ergo inanissimæ sunt, quæ Scholastici & Iesuitæ de propositione ista: [Homo factus est Deus] tanquam falsa scribunt. Sermo eius planus est: cuius sensus oraculis diuinis (in quibus hoc mysterium continetur) non tenebris Scholasticis, elucidatur. Et hæc me incitua tua in S. literis, & admiratio tricarum Scholasticarum (in quibus cognoscendis me multum temporis perdidisse scias) scribere cogit.

189. Cyrillus (quem Busæus pro sua impietate falsò allegat) in lib. de Incarnat. vnig. cap. 11. non simpliciter negat, [Hominem Deum factum] sed hoc vnum cōtra suos Aduersarios agit, quòd verum non sit, Hominem Nostri similem (& sic sua propria personalitate subsistentem) apprehendisse Deitatem, & ad eius dignitatem ascendisse. Sed hoc, inquit, [decentius est, & rectè quidem ita sentire: quòd seruare volens id, quod perierat, descendens ad nos Deus Verbum, in id se, quod non erat, immit, vt & **H O M I N I S N A T V R A**, id quod non erat, fieret, **D I V I N Æ M A I E S T A T I S D I G N I T A T I B V S** per adunationem nitescens: quæ subleuata magis est vltra Naturam, quàm deicit intra Naturâ inuertibilem Deum. Conueniens erat, vt incorruptibilis Natura apprehenderet corruptibilem, vt eam pesteliberaret.] Et in fine huius capituli: [Attende iterum] (ex verbis Apostoli: Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, &c.) [quòd non Homo affectans diuinam Naturam ostenditur, & ad eius dignitatem ascendens: sed

De loco Cyrilli in  
lib. de Incarnat.  
vnig. cap. 11.

» mittens magis Filium suum Deus, & pater in similitudine car-  
 » nis peccati, vt destrueret peccatum. Ergo Verbum, cùm sit De-  
 » us, se in exinanitatem, Homo factus, immisit: & non Homo  
 » simpliciter diuinam gloriam affectans, Christus videtur.]

190. Repetit Iesuita suam insanam & hæreticam peruersita-  
 » tem: [Vt, inquit, æquipollentes sint propositiones: Verbum est  
 » caro: & Deus est Homo: non tamen inde sequitur, vocem (Ho-  
 » mo) Naturam significare, non personam. Nam vox C A R O,  
 » & in B. Ioannis dicto, Verbum caro factum est, & alibi sæpe,  
 » pro Homine accipitur.] Hoc posterius nemo negat, sed in di-  
 » cto Ioannis, vocem C A R O, aut cùm pro ea vox Homo accipi-  
 » tur, personam significare: falsissimum est. Persona enim Filij  
 » Dei non facta est persona, non assumpsit personam: sed facta est  
 » caro, seu assumpsit in Vnitatem personæ Naturam humanam,  
 » seu Hominem perfectum, propria tamen personalitate desti-  
 » tutum.

191. Et quia Busæus contendit, vocem (Homo) significare  
 » personam, non Naturam; Athanasius autem dicit in Symbolo:  
 » [Christus est Homo ex substantia matris:] sequetur, Christum  
 » esse personam diuinam in Natura humana subsistentem E X  
 » S V B S T A N T I A M A T R I S: quod nemo Orthodoxorum vn-  
 » quam dixit.

192. Quæ à Thef. 307. Disput. meæ, vsque ad refutationem  
 » Iesuiticæ Thef. secundæ scripsi: similiter, vt priora, inuicta con-  
 » sistunt. Vbi iterum Iesuita fraudis, & calumniæ Diabolicæ com-  
 » monefaciendus est, quasi nostri scripserint: [Christum H O M I-  
 » N E M S E C V N D V M H V M A N I T A T E M esse Deum, omni-  
 » potentem, vbique] quod de nostris nunquam probabit.

193. Aliud verò, longeque diuersum est, cùm D. Iacobus An-  
 » dreæ contra Gregorium de Valentia disputat: Christum non  
 » modò secundum Diuinitatem, sed etiam secundum Humani-  
 » tatem esse omnipotentem; diuersa tamen ratione. Hæc propo-  
 » sitio tuæ minimè æquipollet. Sicut nec mea, cùm in Assert.  
 » pag. 566. dico, quòd Christus vt Homo sit verè Deus.

194. Non enim sentio, quòd Christus Homo vt Homo, &  
 » quia Homo sit Deus: sed simpliciter cum Patribus assero: Hunc  
 » Homi-

Hominem, ex substantia Mariæ assumptum, esse Deum. Item, Humanitatem, seu carnem Christi, esse Deum. Quod plures Patres ante me scripsisse, docui pag. 148. Assert. meæ. Sicut & hoc rectè dici ostendo: Diuinitatem Verbi, quia incarnatam, esse Hominem. Æquipollentia enim sunt: Deitas Verbi est incarnata (qua phrasi Patres vtuntur) & Deitas Verbi est caro, seu Homo facta. Quod te negaturum non opinor. Vnde nec nobis Eutycheris hæresin imputare potes, quin simul Patres Orthodoxos eiusdem confortes facias.

REFUTATIO DEFENSIONIS THE-  
SIS 2. EIVSQUE APOLOGIÆ.

195. Quia secundum Scripturam & Patres Orthodoxos docemus: Extremum Adam, seu, vt nos loquimur, Christum Hominem esse Spiritum viuificantem, & Dominum de cælo esse omnipotentem & omnipræsentem: ideo ex hoc Iesuita euincere non potuit, [Nos cum Eutychanis vnã in Christo Naturam profiteri:] nisi Scripturam & Patres, eiusdem per rudem malitiam accusare velit. Num. 78.

196. At nos euicimus: Iesuitas vt duas Naturas, ita quoque personas duas constituere. Quia enim cum Paulo Samosateno blasphemant: [Duas Naturas IN CHRISTO, ad se inuicem incommunicabiles esse,] dicere non possunt, quòd ex illis vna incommunicabilis persona constituatur. Sed quælibet natura per se, tanquam incommunicabilis alteri, constituet personam.

197. Porrò, quando Naturam diuinam Verbi (quæ nihil aliud est, quàm suæ proprietates) in Naturam humanam immeasse, cum Damasceno profiteamur: intelligimus, omnem plenitudinem Deitatis reuera in illa esse, & vt Paulus loquitur, inhabitare. Hinc vt natura Verbi Filij Dei Natura esse non desinit: ita nec proprietates eius desinunt esse proprietates Naturæ diuinæ, & fiunt proprietates Humanitatis; vt inscitè Busæus arguit. Num. 78.

198. De proprietatibus Humanitatis, non timidè, & ambiguè, sed intrepidè & disertè respondeo: quòd in Naturam diuinam

nam non immigrarint : sed quod Deus Verbum Naturam humanam cum eius proprietatibus assumendo, sibi hæc propria fecerit.

Proprietates Humanitatis in Naturam diuinam non immigrare.

199. Nam, vt tuum simile accomodem: Quemadmodum anima quidem totum corpus permeat, non autem corpus animam permeare dicitur, sicut nec ferrum ipsum ignem: ita quoque propriè loquendo, Natura diuina permeat Humanam, non autem Humana diuinam. Hoc est, quod Hilarius dixit:  
 » [Mixtum esse Deum Verbum Naturæ humanæ: nec tamen  
 » Hominis Naturam mixtam esse diuinæ.]

200. Et quamuis Damascenus dicat: Domini naturas se inuicem immeare; hoc tamen, vt intelligi velit, statim docet, addens: [Scimus tamen, quod ex diuina Natura immeatio facta fit.] Horum verborum hunc sensum esse: [Quod ex parte diuinæ, & non humanæ, Naturæ, immeatio facta fit: seu, quod diuina in humanam, nec vicissim humana in diuinam immeet:] sequens ratio clarissimè ostendit, dicens: [Ipsa enim omnia pertransit, quemadmodum vult, & permeat: per I P S A M verò N I H I L.] Vides, me locum Damasceni non præterire: multò minus crimen falsi (quod tu falsò obijcis) committere.

Cassianus non statuit mutuum immeationem.

201. Cassianum mutuum immeationem statuere: tuum figmentum est. Dicit .n. is: [Omnia quæ hominis erant, in Deum VENISSE.] Quomodo hoc? per assumptionem H O M I N I S I N D E V M: vt Symbolum Athanas. habet. Et quia eandem immigrationem Naturæ diuinæ in humanam (quæ similitudine animæ cum corpore, & ignis cum ferro declaratur) cum Patribus Orth. asserimus: patet mendacium Iesuitæ, quod [nostra immeatio esse nõ possit sine cõfusione Naturarum, & proprietatum.]

202. Simile mendacium est: quod vanissimis suis Thesibus probarit [communicationem nostram pugnare cum doctrina Orthodoxa.] Idem Busæus, quia nostram sententiam, [quod in persona Christi Deitas Verbi Humanitati realiter vnita, & cõmunicata sit, non sicut asser asseri, vinum vasi, vestis vestito (in quibus vnita nihil sibi inuicem communicant) cõiunguntur:] improbat, eamq; ædificium nouæ, & commentitiæ Vbiquitatis, cum sana doctrina pugnans, vocat: sequitur, eum probare,  
 [Natu-

[Naturas in Christo vnitas esse, sicut asser asseri, &c.] Et hæc non nostra, sed vestra subtilis Theologia est: quam nostri velut crassam, absurdã, & impiam damnant. Ex quo etiam, te mentiendi finem non facere, cognoscitur.

REFUTATIO DEFENSIONIS THE-  
SIS 3. EIVSQUE APOLOGIÆ.

203. Nostros à Iesuitis & Calvinianis per calumniam infimulatos, quòd velint ita dimanasse diuinas proprietates in Humanitatem, ac si oleum vel aqua ex vno vase in aliud dimanet: nemo negabit, nisi qui scripta ipsorum non legit.

204. Et quia Busæus sociorum vanitatem in nostra sententia exponenda exquisitè secutus, & ex Spiritu illorum locutus est: maiorem candorem ipsi tribuere non possumus. Quia enim & sermonem, & sententiam Patrum retinemus: necesse est, Busæum per nostrum latus vel improbare sententiam Patrum, (quod facere videri non vult) vel alium sensum nobis affingere.

205. Hocque phrasis ipsius clarè ostendit: [Quòd velimus, ex FONTE communicationis realis Naturarum, IN Humanitatem Christi dimanasse quasdam naturales Deitatis proprietates:] ac si riuuli ex fonte dimanent.

206. Sed transeo ad magis necessaria, de discrimine abstractorum & concretorum in Articulo de persona Christi. Hoc, si in Scholis Dialecticorum tuorum inauditum est, quis mirabitur? cum tui Theologi de hoc mysterio, quod abstractis & concretis vocabulis exprimitur, absurdissimè loquantur, & scribant: sicut prius in declaratione propositionum: Deus factus est caro seu Homo, &c. ostensum est.

207. Est autem de illo discrimine in præsentis pietatis mysterio hæc nostra doctrina Theologica: [Quod nomine Humanitatis in abstracto intelligimus, nõ solum Naturam humanam à persona Verbi secundum Nestorium personaliter separatam: (quæ abstractio & separatio hæretica est) sed quatenus etiam IN SE & PER SE in ipsa Vnionem personali cum Deo Verbo, non autem ratione Vnionis, consideratur. Quæ abstractio est mentis.

De abstractis & concretis in Articulo de persona CHRISTI.

Abstractio hæretica,

Abstractio mentis.

208. No-

Concretum quid.

208. Nomine verò concreti intelligimus, non tantum secundum logicos vocabula concreta personam significantia: sed etiam secundum Theologiam, Naturam humanam Christi, quatenus in Vnionem, & ratione Vnionis cum Deo Verbo, non ratione Naturæ suæ propriæ, consideratur.

209. Hoc modo caro, quatenus caro, in abstracto per se & in se ratione Naturæ suæ intellecta, non est viuifica: sed caro Christi ratione Vnionis cum Verbo viuifico, est & dicitur viuifica. Similiter Homo, ratione Naturæ & essentiæ suæ in abstracto, nec in Vnionem cum Deo, consideratur: nec Deus, nec omnipotens est. Sed Homo, ex virgine Maria in communionem Dei Verbi assumptus, Deus omnipotens est.

210. Hæc vera esse: syncera Theologia docet. Cuius cum Busæus vnà cum suis Dialecticis expers sit: ea tribus argumentis erroris conuincere conatur. Primum est: [quòd in Scholis Dialecticorum inauditum sit, vocabula [Homo & Humanitas] abstracta esse, quia speciem significant: voces verò [hic Homo, & hæc Humanitas] esse concreta.] At non propterea inaudita quoque sunt in Scholis Theologorum: quorum proprium est, de hoc homine, & hac Humanitate cum Verbo Dei vnita, docere: eaque distinguere ab homine & Humanitate à Deo separatâ.

Homo, & concretum & abstractum esse potest.

211. Nec mecum ipse pugno, cum nomine concreti intelligo vocabula, concreta personam significantia: & tamen vocem Homo, personam significantem, abstractum voco. Homo enim vtrumq; esse potest diuerso respectu & sensu. Concretum quidem quatenus habet compositum modum significandi, & denotat personam. Abstractum autem quatenus species est, & *ὄνομα* in mente à singularibus abstractum. Hoc sensu, vocem Homo, cum de Petro & Paulo velut species prædicatur, abstractum dicere: non nisi rudibus & indoctis risu dignum est.

212. Deinde etsi hæc Christi Humanitas, secundum Theologos re ipsa concretum quiddam sit cum Filio Dei: quatenus tamen IN SE & PER SE consideratur, mente quasi à Filio Dei abstrahitur: nec quia mente abstractum quiddam est, speciei quoque rationem habet, vt ineptè arguit Busæus.

213. Ex

213. Ex quibus liquet, me nulla somnia, nullas stoliditates, & nēnias, nedum nouas hāreses & errores in Theologiam & Dialecticam (vt errabundus putat Iesuita) inuectare. Aliud enim est de abstractis & concretis Dialecticē, & aliud Theologicē disputare. Et quæ in Theologia reuera concreta sunt: Dialecticis abstracta videri possunt. V. g. Humanitas Christi, quia Christi Humanitas, sensu Theologico concretum dici potest: habet namq; compositum significandi modum. Non enim absolute & nudè significat humanam Naturam in se & per se consideratam, sed quæ à Filio Dei in communionem personæ & gloriæ assumpta est. Et huius communionis ratione consideratur in Theologia: quem respectum Dialectica, abstractum vocabulum considerans, non habet. Caro enim Christi, quia caro Filij Dei, est cibus viuificus, Iohan. 6. Et sanguis eius, quia sanguis Filij Dei, mundat nos ab omni peccato, 1. Ioan. 1. Nec quia Dialectici alium modum significandi vocabulis abstractis & concretis tribuunt: idè ea, quæ diximus de hoc mysterio, (ad cuius sublimitatē Dialectici non pertingunt) in Theologia vera non sunt.

214. Adhæc quia duplex consideratio Humanitatis Christi est; vna, quatenus ratione Vnionis cum Deo Verbo significatur: altera, quatenus IN SE & PER SE non respectu Vnionis cum Deo consideratur: secundum hanc distinctionem verissimam, falsum non est, Humanitatem Christi habere compositum significandi modum: & eandem quoque esse abstractum, modo iam dicto.

Duplex consideratio  
Humanitatis Christi.

215. Quæ Philippus Melan. lib. 1. Erot. Dial. de nominibus abstractis & concretis scripsit: probamus. Quod autem in articulo de persona Christi, vocabula concreta (vt Homo ex substantia matris) semper personam significant: & vocabula abstracta (vt caro & sanguis Filij Dei) semper naturas seorsum in se & per se consideratas denotent: hoc non scripsit, non dixit Philippus: nec dicere potuit, nisi Scripturæ & Orthodoxæ veritati contradicere voluisset.

Philip. Melan. de  
abstractis & concretis.

216. Quod nec ipse Busæus dissimulat, cum confitetur: [Patres quosdam] (imò plerique frequenter hoc faciunt) abstractum

G

ctum

» ctum pro concreto, & contra concretum pro abstracto, vsurpa-  
 » re:] sed has locutiones improprias vocat : propter quas à rece-  
 » pro abstracti & concreti discrimine recedendum non fit. Hoc  
 » est, non solum Orthodoxorum Patrum, sed etiam Spiritus S.  
 » (qui magister sermonis est : & frequenter abstracta pro concre-  
 » tis, & concreta quoque pro abstractis vsurpat) linguam impu-  
 » denter corrigere, supra præceptorem sapere, imò huic præscri-  
 » bere velle, quomodo secundum Dialecticorum regulas etiam  
 » in summis mysterijs loqui debeat.

Num. 95.

» 217. Quod sentiamus : [Humanitatem Christi etiam in ab-  
 » stracto & S E C V N D V M S E consideratam (licet in persona  
 » Verbi subsistentem) Omnipotentem & ubique esse:] hoc suum  
 » mendacium, meum esse dicit. Quia doceamus : [Christum et-  
 » iam secundum Humanitatem esse Omnipotentem.] At non  
 » intelligimus I N S E & P E R S E consideratam (imò hoc ex-  
 » pressè negamus) sed quatenus in communionem diuinæ per-  
 » sonæ & gloriæ assumpta est : quatenus omnem potestatem (quæ  
 » Buxæ quoque Omnipotentia est) in cælo & in terra accepit.

» 218. Nostros olim Vnionem personalem descripsisse [com-  
 » municatione Idiomatum, nunc verò etiam communicatione  
 » Naturarum:] nunquam ad id respondere tergiuersatus sum.  
 » Quod verò eam in communicatione alterutra vel vtraque ita  
 » constituerint, vt idem planè cum ea sit : hoc negavi. Addens:  
 » [Vni rei difficili plures sæpe descriptiones assignari: quæ tamen  
 » inter se non pugnent, sed vna declaret alteram. Ita Vnionem  
 » personalem (quæ magnum pietatis mysterium est) nunc expli-  
 » cari & describi per communicationem Idiomatum (vtpote no-  
 » tiorem) nunc per communicationem Naturarum, nunc per  
 » vtramque.

219. Quod D. Iacobum Andreæ concernit: inconstantia ac-  
 » cusandus non est, sed potius ipsi laudi ducendum, quòd cum  
 » Vnionem personalem S O L A Idiomatum communicatione  
 » definiendam dixisset: linguam postea admonitus correxit. Qui  
 » candor, si vobis Papicolis inesset; plurimis execrandis errori-  
 » bus, quibus vestros vobiscum perditis, Ecclesia careret.

220. Eun-



220. Eundem **A P E R T E** negasse, [Vnionem personalem esse coniunctionem duarum Naturarum in subsistentia Filij Dei:] nemo ex scriptis ipsius docebit. Sed hanc definitionem à vestris allatam, insufficientem & obscuram esse, rectè dixit.

221. Nec etiã pro eodem simpliciter accepit Vnionem & communicationem Naturarum. Quod verbis ipsius clarissimis multisq; testimonijs doceri potest. Scribit .n. in Disput. Vuittemb. Thes. 50. [vera & realis, minimeq; verbalis, ficta aut imaginaria **I N H A C V N I O N E , F I T N A T V R A R V M c o m u n i c a t i o .**] Et Thes. 72. [Quemadmodum Naturarum comunicatio **I N V N I O N E** sine cõfusione Naturarum facta est: sic & comunicatio Idiomatum, &c. eam secuta est.] Secundum huius, & aliarum Thesium mentem, accipienda sunt illa sequentis Thes. quæ Busæus allegat: [Comunicatio Idiomatum est ipsa Vnionem seu communicationem Naturarum quiddam ratione ordinis posterius, etsi cum ipsa Vnionem fit tempore simul.

222. Verba Thes. 115: manifestè aduersantur Busæo; vt mirum sit, qua fronte ea pro se citãrit. Sic autem habent: [Vna quoq; est Diuinitas, essentialis illa & æterna, quæ ineffabili modo ita Naturæ humanæ **C O M M U N I C A T A** est **P E R V N I O N E M** cum λόγῳ, vt vnã cum eo personam Christi cõstituat.] Thesi 80. ait: [Naturarum communicationem **I N V N I O N E** personali factam esse.] Idem repetitur Thes. 113.

223. Nec istis repugnat, quod Thesi 44. dicit: [Sanctos Patres, Vnionem hanc Naturarum in Christo, vocabulo comunicationis **E X P L I C A S S E .**] Item: [Scriptores Ecclesiasticos ante Synodum Chalced. vocabulis κοινωνίας καὶ ἐνώσεως, pro iisdem in hoc mysterio vsos esse.] Etsi verò in Col. Mompel. pag. 230. scribit: [Communicationem Naturarum dici Vnionem personalem:] ex cæteris tamen ipsius dictis liquidò constat, quòd inter hæc distinxerit, nec simpliciter pro eodem acceperit.

224. Defensionem Thes. 3. claudit Busæus mendacijs. Vt, [quòd D. Iacobus Andreæ putãrit: Naturas **I M M E D I A T E** vnitas & comunicatas, non autem mediantè Verbi persona.] Hoc ipse D. Iacobus refutat, Thes. 16. 17. 18. disput. Vuittemb. verba eius sunt: [Cum dicitur, quòd Iesus Christus, Dei & Ma-

„ rixæ filius, sit verus Deus & verus Homo: NON SIC accipien-  
 „ dum est, quòd NATVRAM NATVRAM assumserit aliàs enim  
 „ tota Trinitas incarnata diceletur. Nec persona personam as-  
 „ sumsit, &c. sed Filius Dei, persona Trinitatis secunda, Natu-  
 „ ram humanam IN SVÆ PERSONÆ VNITATEM assumpsit.]  
 „ 225. Alterum mendacium est: quòd [negârit Naturas in  
 „ Christo vniri in vna subsistentia.] Quia enim statuit, secundam  
 „ personam Trinitatis ( nec Naturam diuinam immediatè ) as-  
 „ sumpsisse Naturam humanam: sensit certè, has duas Naturas in  
 „ vna subsistentia, seu persona Filij Dei, vnitas esse. Item: [quòd  
 „ voluerit communicationem personæ, ordine naturæ postero-  
 „ rem esse communicatione naturarum:] hoc in scriptis ipsius  
 „ non legitur. Quod autem docuit: [Personam Christi TOTAM  
 „ aut integram non esse, nisi ratione vtriusque naturæ:] in hoc  
 „ omnes Orthodoxos, contra tuum hæreticum, perfidum, & de-  
 „ testandum errorem, consentientes habet: sicut in Assert. mea à  
 „ pag. 47. ostensum est.

REFVTATIO DEFENSIONIS THE-  
 SIS 4. EIVSQVE APOLOGIÆ.

226. Initium Thesis quartæ, cum primo paradoxo, quod  
 nobis Iesuita attribuit, totum ex mendacijs compositum est.  
 Vnionem enim à nobis descriptam, non nouam, non commen-  
 titiam, non Eutychnianam, non varijs paradoxis ornatam, sed  
 S. Scripturæ & Orthodoxæ vetustati per omnia consentaneam  
 esse, ex scriptis meis tuæ Nestorianæ Disputationi, & Apolo-  
 giæ oppositis, clarissimè patet.

227. Similiter primum paradoxon, quod nobis Iesuita af-  
 „ fingit: [In Vnionem personali diuinæ TANTVM Naturæ pro-  
 „ prietates Humanitati communicatas esse, non autem vicissim  
 „ humanæ Naturæ proprietates Diuinitati:] mendacio constare,  
 „ Thef. 368. Disputat. mea probaui. Sicut quoque Formulam  
 „ Concordiæ nihil pro ipso facere, thesibus sequentibus: ac Iesui-  
 „ tam mentiri, cum dicit: [Nullo verbulo in copiosa huius do-  
 „ gmatis explicatione CONCORDIAM indicare, Diuinitati  
 „ aliquid

aliquid ab Humanitate communicatum esse:] verbis Concor-  
diæ ostendi.

228. Ut autem Iesuita hoc mendacium declinet, distinguit  
inter Deum Verbum & Naturam diuinam: non ignorans, nos  
in hac doctrina de Vnionē duarum Naturarum in Christo, re-  
cepto more loquendi & Patribus Orthodoxis vsitatissimo, per  
Naturam diuinam intelligere Deum Verbum: non quod pror-  
sus Synonyma, & nullum inter ea discrimen sit.

Per Naturam diui-  
nam intelligi Deum  
Verbum.

229. Eadem quoque mens Lutheri est: nec ipse in verbis ibi-  
dem citatis sibi contradicit. Nam vbi aliquoties Diuinitatem  
nominauit: quòd per hanc ipsum Deum Verbum intelligat,  
disertè docet, addens: [Nisi hæc vera sint: Deus mortuus est pro  
nobis: & si solus Homo mortuus est pro nobis: tum profecto  
prorsus actum fuerit de nobis.] Item: [Ex his liquet, non care-  
re errore, si quis dixerit, scripseritue, quòd commemoratæ pro-  
positiones (Deus passus est: Deus mortuus est) sint tantum præ-  
dicationes verbales, hoc est, nuda verba sine re. Simplicissima  
enim Christiana fides nostra docet, quòd F I L I V S Dei, qui  
Homo factus est, pro nobis passus ac mortuus sit, nosque suo  
sanguine redemerit:] Quæ prædicationes si verbales sunt: re-  
demtio quoq; nostra verbalis, nec realis, est. Ad hoc Iesuitæ re-  
spondendum erat. Quomodo autem Filius Dei realiter pas-  
sus sit in Natura, quam sibi arctissimè & intimè vniuit, pro-  
priamque fecit, in Vnitatem personæ suæ assumendo: de hoc  
alibi dictum.

230. Cùm D. Iacobus inquit: [Diuinitatem dare, & Huma-  
nitatem accipere:] respicit ad propriam conditionem vtriusq;  
Naturæ. Interim non negat, Diuinitatem quoque aliquid acci-  
pere: at non ab Humanitate, sicut hæc à Diuinitate accipit: sed  
quando assumfit Humanitatem cum eius proprietatibus, eam  
sibi accepit propriamque fecit, Quod D. Iacobus nunquam ne-  
gavit.

231. Deinde, quia Vnio immediatè nō inter Naturas, sed in-  
ter Filium Dei & Naturam humanam facta est: ideo cùm de  
communicatione inter hæc vnita sermo est: non quaritur de  
communicatione Naturarum immediatè, sed de communica-

tione mutua Filij Dei & Naturæ assumptæ. Vbi nos responde-  
 mus, [quòd FILIVS DEI suam personam, NATVRAM &  
 proprietates Humanitati communicauerit: Non quòd Natura  
 diuina suam personam Humanitati dederit. Et sic vicissim, Fi-  
 lium Dei per assumptionem humanæ Naturæ eius participem  
 factum esse.]

232. Etsi verò vox [immediatè] non est in tuo scripto: cùm  
 tamen dicis: [Quæstionem esse de attributis humanis NATV-  
 RÆ DIVINÆ communicatis, & NON de communicatis  
 DEO VERBO:] quis nisi stultus non intelligit, te loqui de  
 humanis Deitati immediatè communicatis? & sic impuden-  
 ter mentiri?

233. Sed præter hoc etiam fraudem committis, dum videri  
 vis, te concedere, [passionem & mortem Deo Verbo realiter  
 attribui:] cùm secundum doctrinam tuam, passio & mors (quæ  
 attributa Humanitatis sunt) tam nõ possint Deo Verbo, quàm  
 Naturæ diuinæ adscribi. Nos secundum Scripturam Filium  
 Dei realiter passum dicimus: cumque Natura Verbi à persona  
 realiter non differat, passionem Christi ad Naturam diuinam  
 nihil prorsus pertinere, asserere non possumus; nisi Patribus  
 Orthodoxis contradicere, & meritum passionis Christi I N-  
 FINITVM & sufficiens esse pro peccatis totius mundi, negare  
 velimus.

Quæst. 109. III. 112.

234. Quemadmodum autem nec ex Formula Concordiæ,  
 nec ex scriptis D. Iacobi Andree, (vri quæ tuo mendacio aperte  
 aduersantur, sicut Theol. 372. & 397. Disput. mea demonstra-  
 tum est) ita nec ex meis verbis primum paradoxon de nobis  
 probare potes. Non enim quia Natura diuina, seu Filius Dei,  
 (quæ pro eodem, vsitata phrasi Patrum hoc loco vsurpamus) in  
 se immutabilis, affectiones & imperfectiones Humanitatis I N-  
 S E recipere non potest, (vt sibi, velut Humanitati, I N S I N T)  
 nec Humanitas Deitati suam infirmitatem tradidit: idcirco Fi-  
 lius Dei affectionum Humanitatis particeps factus non est, nec  
 eas sibi proprias fecit. Nam Deus Verbum communicans Na-  
 turæ humanæ, simul quoque consors factus est affectionum il-  
 lius, quas vnà cum Naturæ participatione sibi proprias fecit.  
 Et pas-

Et passus est Deus realiter, non quia nudus & purus, sed quia incarnatus Deus. Hęc tuam Antilogiam, falsò nobis obiectam, potenter infringunt.

235. Nec de Natura diuina (vt mentitur Busæus) contro- uersia fuit, an sit passa & mortua: siquidem cum nemine litige- mus: [An Deitati immediatè realiter communicatæ sint pro- prietates Humanitatis: sed hoc controuertitur, an sicut F I- L I V S Dei per assumptionem communicauit Naturæ humanæ suam propriam personam, Naturam, & proprietates: ita quo- que I P S E realiter particeps factus sit proprietatum Humani- tatis?] Vnde nec probandum mihi erat: [N O N Verbo, sed Deitati comunicatas realiter esse proprietates Humani- tatis.]

236. Adhęc, non solùm de Natura diuina dicimus, quòd imperfectiones Humanitatis I N S E non recipiat, (vt vide- licet ipsorum inexistentiâ imperfectior reddatur: quemadmo- dum Natura humana per plenitudinem Deitatis in ipsa habi- tantem perficitur) quia immutabilis sit: sed idem quoque de persona F I L I I Dei intelligimus. Et tamen Deum quia in- carnatum realiter passum & mortuum esse, confirmamus. A quibus affectionibus Natura diuina Verbi simpliciter exclu- di non potest: sed mediante persona, earum quoque per Vnio- nem particeps facta est. Vnde Augustin. Epist. 57. scripsit: [Per caput nostrum reconciliamur Deo: quia in illo est D E I T A S vnigeniti facta P A R T I C E P S M O R T A L I T A T I S N O S T R Æ.]

237. Cùm autem Deum realiter passum & mortuum dico, quia incarnatus seu Homo factus sit: in hoc tautologiam vel petitionem principij esse dicit: [Nam non modò quæri, cur Deus realiter dicatur passus: sed etiam cur realiter dicatur factus Homo, hoc est, cur dicatur Humanitas cum proprietate patiendi realiter communicata Deo, & non Deitati?] Respon- di priùs, & repeto: Deitatem nõ posse penitus excludi à partici- patione Humanitatis & affectionum eius, quasi nullo modo earum particeps facta sit: sed quemadmodum Orthodoxè in- carnata, ita quoque, quia incarnata, passa esse dici potest.

238. Men-

Num. 116. 238. Mendacium 49. & 50. propterea tibi adscripsi, quod  
 » propositiones istas sanas & verissimas: [Diuinas perfectiones,  
 » Humanitati communicatas, non esse nouas, creatas, finitas, sed  
 » eas ipsas, quæ ab omni æternitate in ipsa Deitate essentialiter  
 » extiterunt; item, diuinam Naturam, eiusque proprietates non  
 » esse in Humanitate formaliter, essentialiter, habitualiter, &  
 » subiectiuè: sed modo supernaturali, & diuino:] sine vlla proba-  
 » tione paradoxorum nomine traduxisti: quia, inquis, hoc vo-  
 » bis in nostra doctrina videatur. Non autem satis est, tibi tuisq;  
 » excæcatis Iesuitis aliquid VIDERI: sed illud quoque Scriptu-  
 » ræ rationibus euidenter confirmandum est. Sicut ego testimo-  
 » nijs Scripturæ & Patrum demonstraui, totam tuam Disputa-  
 » tionem, qua realem cõmunicationem Naturarum & proprie-  
 » tum in Christo negas, esse abominandũ mendacium, & ipsam  
 » Nestorij hæresin.

REFVTATIO DEFENSIONIS THE-  
 SIS 5. ET 6. EARVMQVE APOLOGIÆ.

Num. 117. 239. Quod Busæus in quarto paradoxo alienum sensum per  
 » calumniam nobis tribuat: etiam sine mea explicatione lectori  
 » notum esse potest. Sic enim, ac si nostra sententia esset, inquit:  
 » [Omnem Deitatis gloriam & maiestatem, inde à conceptionis  
 » primordijs, in Humanitatem Christi redundasse, sic vt CARO  
 » Christi, in vtero B. virginis Mariæ adhuc existens, &c. OM-  
 » NIVM RERVM CONSCIA, &c. & OMNIBVS ORBIS  
 » PARTIBVS & angulis cum Diuinitate verissimè PRÆSENS  
 » fuerit.]

240. Nec refert, quod Thesi proximè sequenti scribit: [Ha-  
 » buisse quidem Christum in hac vita mortali Humanitatem di-  
 » uinam, Omnipotentem, Omnipræsentem, &c. at declarare  
 » noluisse publicè eandem gloriam & maiestatem ante resurre-  
 » ctionem & ascensionem in cœlum.] Hic enim occinendum illi  
 » est, quod Num. 99. dixit: [Solennem hæreticorum morem ef-  
 » se, DICERE pugnantia.] Quod ipse hoc loco facit.

241. De gloria Omnipræsentix, quam Homo assumtus in  
 » statu

statu exinanitionis habuit, sententiam nostram veram repeto: Num. 118.  
 quòd gloria & maiestas diuina, respectu Naturæ assumptæ (cui  
 communicata est) rationem potentia habeat: quæ etiam sine  
 vsurpatione ad tempus consistere potest. Hinc factum, vt Ho- De Omnipræsentia  
 mo assumptus virtutem Omnipræsentia (quam communica- CHRISTI homi-  
 tam habuit) in statu exinanitionis non vsurpârit. nis.  
 enim exinanitus fuisse dicitur, quod actu non semper omnia  
 sciuit, omnibus rebus præsens fuit, omnemq; gloriam exeruit.  
 Vnde nec sequitur, quod colligit Iesuita ex nostra sententia:  
 [Christum hominem neque natum esse, neque crucifixum, ne-  
 que sepultum, neque ab vno loco in alium secessisse, nec in Iu-  
 dæa potius, quàm in Germania, mortalis vitæ cursum perfecit:  
 se: quia vbiq; fuerit.] Nam virtus diuina Homini assumpto com-  
 municata, quia vbiq; esse potuit, NON TOLLIT necessariò  
 PRÆSENTIAM NATVRALEM & localem: sicut NEC  
 ACTVS Omnipræsentia, qui nulla capedine locorum natura-  
 li, nulla diffusionem aut extensionem locali definitur: sed de loco in  
 locum Christus Homo naturaliter & localiter progrediens, su-  
 pernaturaliter, diuino, & illocali modo (quo super omnes creatu-  
 ras, super omnia loca in persona Dei Verbi fuit) omnibus præ-  
 sens esse potuit.

242. Et sic diuersa ratione, in loco, & vbiq; esse aut esse posse, non implicat contradictionem, ne quidem in diuinis personis. Nam Spiritus S. corporali specie tanquam columba descendens super Christum, in vno tantum loco ista forma & specie fuit, licet alio modo vbiq; esset. Ita Homo in communionem & consortium Dei assumptus, modo naturali, quo finitus & circumscriptus suâ Natura est & manet, localiter in utero matris, in præsepiti, in Iudæa, in cruce, in sepulchro, nec simul localiter & naturaliter alibi fuit: quamuis supernaturaliter & diuino modo in persona Filij Dei infinita supra & extra omnia loca subsisteret.

243. Scripsi Thef. 404. [Nulla φιλαυτία, nullo etiam Iesuitam calumniandi studio (vt mentitur Busæus) fieri, quòd passim pro voce abstracta HUMANITATIS, vocem Hominis ASSUMPTI vsurpo. In hoc enim Spiritus S. & Ecclesiæ Docto-  
 H rum

rum veterum autoritatem me sequi : quorum ille in Scripturis  
 diuinis de Natura assumta loquens , vt plurimum vocabulis  
 concretis (videlicet Filius hominis, extremus Adam, secundus  
 Homo, & similibus) vtatur : Horum verò infinita propemo-  
 dum dicta extare, in quib. vocem H O M O , pro Natura ex vir-  
 gine Maria assumta , accipiant.] Hoc cum Busæus negare non  
 posset: pro sua impietate mauult sermonem, Spiritui sancto, &  
 Patribus Orthodoxis vsitatum , improprie locutionis arguere,  
 quàm vel minimum de more, in Scholis Philosophicis loquen-  
 di recepto, remittere.

244. Quòd aut certum (vt vult Iesuita) non sit: [ Propriam  
 esse locutionem , cum dico : Humanitatem assumtam : Improp-  
 priam verò cum dico : Hominem assumtum:] id probo. Quia  
 vox H O M O , de singulari accepta, denotat cõpositum ex ani-  
 ma rationali, & carne humana cum proprietatibus & acciden-  
 tibus: per Humanitatem verò (proprie loquendo) ipsa nuda es-  
 sentia, quam definitio exprimit, sine accidentibus significatur.  
 Nunc quia Filius Dei non nudam essentiam, sed simul etiam  
 proprietates & accidentia illius assumfit : sequitur magis pro-  
 prie dici, quòd Hominem, (propria tamen personalitate caren-  
 tem) quàm Humanitatem, assumserit.

245. Nec quia autores appendicis libri Concordiæ annota-  
 runt, [In sententijs Patrum concretum pro abstracto positum:]  
 ideo quoque has locutiones cum Iesuitis improbarunt & da-  
 mnarunt. Sciuerunt enim eas vsurpatas à Concilijs, Symbolis,  
 & Patribus Orthodoxis. Et rectè D. Iacobus Andrea in Disput.  
 Vuittenb. Thes. 98. Studiosos monuit, vt obseruarent, in di-  
 cto Nysseni, concretum [vnitus Homo] pro abstracto vocabu-  
 lo positum ; ne nobis Iesuitæ aut Calvinistæ nouitatis crimen  
 obijciant.

Num. 121.

246. Hæc dum scribo : nec inscitiã (vt amens Iesuita arguit)  
 prodo : nec nostris Academijs, nec Tubingensibus & Concor-  
 diæ Patribus apertum bellum indico. Nam vnà cum illis, vo-  
 cabula [abstractum & concretum] in Scholis omninò retinen-  
 da dico. Quòd autem conuenientiùs & rectiùs dicatur: [ Fi-  
 lium Dei assumfisse Hominem perfectum, anima, corpore, &  
 affe-

Vox H O M O quid  
 significet in singu-  
 lari.

Humanitas quid.



affectionibus naturalibus constantem, propria tamen personali-  
tate destitutum; ] hoc probavi. Nec quisquam Christum ho-  
minem ex Maria natum, Hierosolymam euntem, puerum in  
templo differentem, ac postea docentem, orantem, &c. Natu-  
ram humanam, sed Hominem dixit. Ipse quoq; se Filium Ho-  
minis, non Naturam humanam vel Humanitatem, (de se vt  
Homine verba faciens) appellavit. Et plerunque Deus, Homo,  
non Natura humana, factus, à patribus dicitur. Hoc nemo no-  
strum vnquam impugnavit. Sicut nec istud: Quòd vox Homo  
simpliciter enunciata, in Dialectica speciem, & sic quoque ab-  
stractum significet. In Articulo aut de persona Christi vox Ho-  
mo concretum denotat, quatenus significat còpositum ex ani-  
ma rationali, & carne humana cum proprietatibus & acciden-  
tibus suis; quod in Deum assumptum, & ratione huius assum-  
tionis in communionem diuinæ personæ, & gloriæ, considera-  
tur. Quòd si vox [subsistens,] tibi displicet: accipe, quòd Homo  
denotet compositum, ex anima rationali & carne humana, &c.  
constans, & in persona Verbi subsistentiam suam habens.

247. Estque verum, nec probatione eget, quòd in præsentì  
negocio de Vnionè personali, & sic in Theologia, ac sensu  
Theologico, (quod notare velis) Humanitas non significet nu-  
dam essentiam, sed còpositam Naturam ex anima rationali &  
carne Humana CVM SVIS proprietatibus, & accidentibus.  
At sensu logico, & secundum doctrinam Iesuiticam, hoc VE-  
RVM NON est. Tibi enim Humanitas abstractum significat:  
quod dixisti esse à compositione liberum, & habere simplicem  
modum significandi: quale abstractum Humanitas Christi non  
est. Ex quo cognoscis, non me, sed te monstra in Theologia pa-  
rere abusu doctrinæ logicæ de vocabulis concretis & abstractis.

Apolog. pag. 8.

248. Iesuitam, Christum hominem pro Deo ponere; ex præ-  
cedentibus manifestum est. Contendit enim, Christum homi-  
nem significare personam diuinam (quæ est Deus) habentem  
Humanitatem. Vnde quoq; has propositiones: [Christus Ho-  
mo est æternus, est increatus] veras esse dicit: intelligens Chri-  
stum, non qua Homo, sed qua Deus est. Deinde, idem verbis  
Apologetici planum fit, vbi pag. ii. scribit: [Societati Nostræ

Num. 124.

CHRISTVS Ho-  
mo significat Iesuitæ  
Christum DEVM.

H 2

non

» non videtur paradoxum asserere, Christum **H O M I N E M** et-  
 » iam in vtero B. virginis Mariæ realiter euectū fuisse ad dextram  
 » Dei Patris. Nec. n. ignorat, eo ipso quod Verbum caro factum  
 » est, **H O M I N E M** Christum verè **D E V M** fuisse, & **V T D E V M**  
 » sedisse ad dextram patris. Negat verò Christum **V T H O M I -**  
 » **N E M**, vel secundum Humanitatem (quod vos dicitis) sedisse  
 » ad dextram Patris.]

» 249. Hoc loco quaritur, quid in propositione: [Christus  
 » Homo euectus est ad dexteram patris:] per Christum **H O M I -**  
 » **N E M** intelligatur? Nos dicimus: Christum vt Hominem, vel  
 » Christum secundum Humanitatem intelligi. Iesuita verò aper-  
 » tē dicit: [suam societatem hoc negare: & Christum **H O M I -**  
 » **N E M**, non vt Hominem, sed **V T D E V M** sedisse ad dexteram  
 » Dei.] Quomodo ergo falsum esse dicit: [Se Christum Homi-  
 » nem pro Deo ponere? & per Christum Hominem intelligere  
 » Christum, qua Deus est?]

» 250. Nec iuuat ipsum, quòd Ecclesiæ Doctores, sessionem  
 » ad dexteram patris, quandoq; Christo tribuunt tanquam Deo.  
 » Nam iidem expressè illam quoq; Christo vt Homini pluribus  
 » in locis adscribunt: sicut testimonia ipsorum magno numero  
 » adduci possunt. Estque longè aliud, cum Cyrillus in Anath. 10.  
 » contra Theodoret. scribit: [Vide igitur Eum] (Christum, seu  
 » Deum hominem factū) [sacrificantem quidem secundum Hu-  
 » manitatem, assidentem autem vt Deum.] Vbi minimè Chri-  
 » stum Hominem pro Christo Deo ponit.

» 251. Quòd Nostris contra mentem ipsorū tribuerit: [Chri-  
 » stum vt Hominem adhuc in vtero existentem, **S E D I S S E** ad  
 » dextram patris:] patet manifestè ex pag. II. Apolog. Idemque  
 » in hac sua defensione ex nostris scriptis euincere conatur. Dein-  
 » de, quæ hæc monstra in Theologia sunt, de Christo **S E C V N -**  
 » **D V M H V M A N I T A T E M** negare, quod eius **H V M A N I -**  
 » **T A T I** concedit? [Non, inquit, negavi, Sessionem ad dexte-  
 » ram Dei **H V M A N I T A T I** Christi, adhuc in vtero existenti, tri-  
 » bui posse: sed negavi simpliciter Christo secundum **H V M A -**  
 » **N I T A T E M** id tribui.]

» 252. Scripsi: [Humanitatem Christi ad dexteram Dei per  
 » Vnio-

Vnionem in vtero euectam, id est, assumtam esse: sed non in vtero **S E D I S S E** ad dextram patris, eò quòd in Scriptura **S E D E R E** significet regnare, & gloriã diuinæ potestatis (in quam ab ipso conceptu virginis, secundum B. Leonem, euecta est) vsurpare. Vnde nec nos sentire, quòd omnis Deitatis gloria & maiestas, iam inde ab assumptionis articulo in Humanitatem Christi ita redundarit, vt adhuc in vtero existens etiam **V S V R P A T I O N E** diuinæ maiestatis omnibus orbis angulis cum Deitate verissimè præsens fuerit.]

253. Hæc non pugnare cum D. Iacobi, autorum Apologia Concordiæ, ac meis scriptis: candido lectori, qui studio calumniandi non delectatur, euidentis est. Sunt enim verba D. Iacobi Theol. Vuittemb. 213. & seq. [Præsentia Christi, secundum Humanitatem, etiam peculiari articulo Symboli Apostolici comprehensa est. Vbi confitemur: quòd Iesus Christus sedeat ad dexteram Dei patris. Dexteram igitur Dei cum sedes sit Humanitatis Christi: & hæc nihil aliud significet, quàm Omnipotentiam Dei cælum & terram implentem: sequitur, quòd cum Humanitas Christi in hac sede collocata sit, nusquam dextram Dei monstrari posse, vbi Humanitas eius non sedeat, id est, regnet & gubernet?] Quis autem non videt, Doctorem Iacobum disertè loqui de collocatione ad dextram Dei, quæ post ascensionem localem facta est. Quæ igitur hîc pugna?

254. Similiter, cum mea responsione non pugnat Apologia Concordiæ: quæ de eadem **S E S S I O N E** loquitur, in loco à Busæo citato. Verba eius sunt, fol. Germ. 171. in Lat. Exem. 158. [Singulari petulantia videre & audire nolunt, Scripturam & Symbolum non tantum id asserere, quòd corpore suo in cælum ascendit: verum etiam adiungere, sedere Eum ad dextram Dei. Dexteram autem Dei, non est peculiaris quidam cæli locus, aut corporale quoddam folium, &c. sed Omnipotens virtus & potentia Dei, qua omnibus creaturis in cælo & terra dominatur, omnesq; creaturas sibi præsentis habet. Ad hanc Omnipotentiam & dominium Christus secundum Humanitatem exaltatus est, vt sedeat, id est, vt Omnipotenti virtute dominetur omnibus, & gubernet omnes creaturas, etiã secundum humanam

“ Vnionem perso-  
“ nalem in vtero  
“ B. virginis fa-  
“ ctam, cum Sessio-  
“ ne ad dexteram  
“ Dei non con-  
“ fundi.

Num. 126.

» Naturam assumtam.] Idem cum Assertio mea habeat pag. 549. & 550. sequitur, eam cum verbis paulò antè positis non pugnare. Nam aliud est secundum Leonem, humanam Naturam in gloriam diuinæ Omnipotentiae ab ipso conceptu virginis euectam esse: & aliud, in dextera Dei sedere, id est, diuina potentia & praesentia super omnes creaturas regnare.

Num. 128.

» 255. Etsi verò Gregorius Nyssenus interpretatur locum Petri, Act. 2 [Dextera igitur Dei exaltatus, &c.] Verba tamen eius plana sunt, quòd [dextera Dei, &c. vnitum sibi hominem ad propriam adduxerit altitudinem PER VNIONEM:] quam in vtero matris factam esse, non negabis.

Num. 129.

» Christum vt hominem, in vtero & statu exinanitionis non fuisse actu vbique.

» 256. Ex verbis Assertionis meae, pag. 480. [Filius Dei etiam in statu exinanitionis nusquam fuisse, vbi non Naturam assumtam intimè SIBI personaliter praesentem habuerit:] minime sequitur, [Humanitatem Christi in vtero adhuc existentem verè vbique, omnibusq; creaturis actu praesentem fuisse, quia Filius Dei fuerit vbique.] Nam aliud est toti & Omnipraesenti Dei Filio, (qui non diffusionem vel expansionem per omnia locorum spacia, sed virtute sua essentiali, modo diuino & illocali vbique est) per Vnionem personalem adesse: & aliud rebus locatis extra personam Filij vbique locorum existentibus (cum quibus vniam personam non constituit) praesentem esse. Hanc quidem virtutem & maiestatem potentiae vbique essendi Christus vt Homo à conceptu virginis habuit: sed in statu exinanitionis eam non vsurpauit: qua tamen potuit esse & fuit supra loci conditionem, vbicunque voluit.

Solutio Argumentorū Iesuitę pro Vbiquitate Humanitatis Christi in vtero B. virginis. Primum.

» 257. Verum examinemus argumenta, quib. Iesuita ex verbis meis demonstrare praesumit, [Humanitatem Christi etiam in vtero B. virginis actu vbique fuisse.] Primum est: [In statu exinanitionis Filius Dei nusquam fuit, vbi non Naturam assumtam INTIME SIBI praesentem habuerit.] Ratio: quia hic Homo assumtus est in totam & infinitam personam Filij Dei, non in aliquam tantum Eius partem. Item, secundum Scripturam, omnis plenitudo Deitatis Filij habitauit in hoc Homine: & extra eum personaliter nusquam fuit, sed in hoc Homine totus & infinitus habitans & manens, maiestate potentiae suae (vt Augu-

Augustinus loquitur) vbique fuit. Minor: [Sed Filius Dei in statu exinanitionis vbique fuit actu. Ergo Naturam assumtam vbique sibi intime præsentem habuit.] Sic conclusio formanda est. Concedimus autem totum argumentum. Nec quia Natura assumpta Filio Dei sua essentiali virtute Omnipræsenti præsens fuit: ideo quoque Toti vniuerso, omnibusq; creaturis extra personam Verbi existentibus, (cum quibus ipsa personaliter vnita non est) actu præsens fuit.

258. Secundum est: [Thes. 211. & 212. Disputationis, & in Assertione sapissimè probare conaris, necessariò constituendos duos Christos, si Filius Dei fingatur alicubi esse sine carne, vel Natura assumpta.] Hæc maior verissima est, & tam firma, vt Busæus cõtra Theses nominatas nihil tentare ausus fuerit. [At vos fingitis, Filium Dei in statu exinanitionis, maximè autem cum Christus esset in vtero, in plurimis locis, imò infinitis fuisse sine Natura assumpta.] Hanc minorem negantes, repetimus maiorè argumenti primi, quòd Filius Dei nusquam fuerit, vbi non extra rationem & conditionem loci Naturam humanam sibi intimè & personaliter vnitã habuerit. Hic nulla locorum spacia, nulla diffusio, aut extensio imaginanda est, sed omnia locorum spatia remouenda sunt, & cõsideranda est Natura assumpta in simplicissima persona Verbi, quæ sua virtute infinita vbique est. Qua etiam Filius hominis vbiq; esse potuit; sed in statu exinanitionis hac maiestate vti noluit. Et sic secundum nostrã doctrinam, in statu exinanitionis non fuerunt duo Christi; sed vnus post Vnionem indiuisus; quatenus infinitus virtute sua Deus, in tota persona sua Hominem personaliter vnitum habuit.

259. Tertium argumentum est: [Omnipotentia Dei est sedes & dextera, ad quam Christus vt Homo etiam in vtero fuit euectus. At Filius Dei secundum maiestatem Omnipotentia, teste Augustino, fuit actu vbique præsens. Ergo etiam Christus vt Homo, secundum eandem maiestatem, fuit actu vbique præsens.] Respondeo ad Maiorem per distinctionem: quòd Christus quidem vt Homo, secundum Leonem, in vtero euectus sit in gloriam diuinæ potestatis ratione participationis, non autem

Secundum Argumentum Iesuitæ.

Tertium Argumentum

tem vsurpationis. Proinde nō sequitur: Filius Dei in vtero Mariae assumens semen Abrahæ in communionem potestatis suæ actu fuit ubiq;. Ergo etiã homo iste in Filium Dei actu Omnipræsentem assumtus, & in gloriam eius euectus, actu fuit ubiq; præsens in vtero matris. Nam diuina illa potestas rationem potentiaæ habet respectu Naturæ assumptæ: nec necesse est, actum illi semper coniunctum esse. In Deo autem est purus & simplex actus: à cuius Natura & substantia non licet argumentari ad Naturam humanam. Et sic argumentum hoc quatuor terminis constat.

Quartum Argumentum.

» 260. Quartum: [Filius Dei non maiestate tantum potentiaæ, verum etiam secundum essentiam vel substantiam est ubique præsens, teste August. id ex Scripturis probante Epist. 57. ad Dardanum, sed tua opinione, nusquam in statu exinanitionis fuit, ubi non habuerit intimè *S V Æ S V B S T A N T I Æ P R Æ S E N T E M* Naturam assumptam. Igitur & illa fuit ubiq;.] Plus est in cōclusionē, quàm in præmissis. Et in Maiore quidem, non opus fuisset distinguere inter potentiam & essentiam diuinam. Nam & potentia de essentia vel substantia Dei est. Et qui dicit; Eum maiestate potentiaæ ubique esse: is quoque confitetur, quòd per essentiam sit ubique. Assumptum probamus. Inde verò conclusio Busæi minimè sequitur. Potest enim substantia Filij Dei Omnipræsens, & ubiq; intra se Humanitatem assumptam habens, actu ubique esse, vt tamen Humanitas in ea tota subsistens actu non sit ubique. Nam substantia, qua Filius Dei ubique est, non habet rationem actus respectu Naturæ assumptæ, quemadmodum respectu Filij Dei habet. Ideo à Natura diuina ad Humanam non procedit argumentum.

REFVTATIO DEFENSIONIS THE-  
SIS 7. 8. ET 9. EARVMQVE APOLOG.

261. In his thesibus quid desiderarim, vereque reprehenderim, cognoscet lector ex Disput. meæ Thef. 425. 426. & seq. De nobis verò mentitus erat Iesuita, Thef. 7. quòd doceamus:  
» [Christum, QVAMDIU IN mortali hac VITA fuerit, habuisse

buisse quidem Humanitatem diuinam, &c. at declarare N O -  
 LVISSE PVBLICE eandem gloriam & maiestatem ante re-  
 surrectionem suam, & ascensionē in cœlum.] Et Thef. 8. men-  
 tiri pergit: [Nos dicere, illam Humanitatis Christi maiestatem  
 IN VNIVERSVM quidem per HANC VITAM OCCVL-  
 TAM fuisse, & INTRA CARNEM COHIBITAM.] Hoc  
 mendacium in ipsa Thesi, eiusque Apologia, sibi contradicen-  
 do, & de nobis mentiando, non nihil correxit, quasi iam dictis  
 addamus: [TENVE S tamen ALIQVANDO RADIOS  
 eius, ne Diuinitas prorsus nos lateret, erupisse.] Hæc simul con-  
 sistere, & absque contradictione asseuerari non possunt.

262. Scripsi: [Christum Hominem in hac vita mortali com-  
 municatam habuisse Omniscientiam Dei Verbi: qua, si voluif-  
 set, omnia scire potuisset.] In his verbis dicit esse contradictio-  
 nem. [Nam, inquit, qui sciens est, non tantum dicitur posse  
 aliquid scire, si velit, sed reuera ACTV SCIT, etiamsi dor-  
 miat, & ACTVM SCIENDI NON EXERCEAT.] Quis  
 verò sanæ mentis nō intelligit, hæc pugnare: [Actu scire (quod  
 nos intelligimus de Actu secundo) & actum sciendi non exer-  
 cere.] Homo doctus & sciens, dum dormit, vel paroxysmo Epi-  
 leptico laborat, vel alijs cogitationibus ferijs occupatur, actu  
 secundo non scit ea, quorum scientiam habet, & cuius causa  
 sciens dicitur. Nec quia dormiens, actu habet habitum scientiæ  
 in animo, ideo etiam actu secundo scire, id est, scientia vti, eam  
 exercere, ratiocinari, & contemplari dicitur.

263. Sententiam nostram confirmat Aristot. lib. 7. Eth. ad Aristoteles.  
 Nicom. cap. 3. cuius verba lector ex Thef. 432. Disput. meæ I.  
 repetere potest. Nec aduersatur nobis Donatus, cum in dictum Donatus.  
 locum Aristotelis, his verbis contra Busæum commentatur:  
 [Philosophi, inquit, solent alijs terminis hanc distinctionem  
 facere, vt scire dupliciter dicamur; aut primo actu, id est, ha-  
 bitu: quo modo scire dicimus, Geometram dormientē, & non  
 speculantem, habere scientiam Geometriæ, aut secundo actu,  
 id est, operatione: quo modo dicimus Geometram scire, cum  
 secundum scientiam facit aliquam demonstrationem.]

“ Num. 136. 137.

“ De Omniscientia  
 “ Christi Hominis  
 “ in statu exinani-  
 “ tionis.

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

264. Sed vtut se res cum nostra scientia habeat : certum est, verbis istis meis nullam inesse contradictionem. Omniscientia enim Dei Verbi, nec actus, nec habitus ratione, respectu Christi Hominis habet : sed eam realiter possidens, & vsu eius plenario se exinaniens, scire eius beneficio potuit, quæcunque voluit : non autem actu omnia sciuit. Attributa namque diuina, quæ in Deo actus sunt, in Homine assumpto rationem potentia habent : quæ in rebus creatis cum actu non semper coniuncta est.

265. De significatione vocis *IN VNIVERSVM*, qua Iesuita in Thef. 8. paulò antè posita, vsus est; videat, si libet, lector, Thef. 434. vsque ad 440. Disp. mex.

Num. 139.

» 266. Mendacium Thef. 9. [Quòd vbiquitariae doctrinae à  
 » *LUTHERANIS FABREFACTÆ VNICA* illa præcipua  
 » causa sit, quòd existimarint, sine eius præsidio defendi non pos-  
 » se realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia cõtra Cal-  
 » uinianos:] supra quoque refutatum est: Vbi ostendimus, hanc  
 » doctrinam nec à nostris fabrefactã, nec hanc eius vnica præ-  
 » cipuam causam esse, quam affert Iesuita. Nam si de Cœna Do-  
 » mini nulla prorsus controuersia orta esset : tamen hæc pars do-  
 » ctrinae cœlestis in Scripturis copiosè tradita, contra hostes ma-  
 » iestatis Christi, asserenda & defendenda fuisset. De qua proli-  
 » xiùs (Deo dante) agetur cap. 7. 8. & 10. ostensuri, Prophetas,  
 » Apostolos, sanctosq; Patres (quos in hac quoque Disputatione  
 » nominamus) ante nos hanc doctrinam orbi proposuisse; nec  
 » nos nouam intelligentiam articulo de Sessione ad dextram Pa-  
 » tris intulisse.

» 267. Cum verbis Lutheri verè scripsi : [Ipsum ex fidei arti-  
 » culis, sibi obiectis, cõtra aduersarios docere, & (vt Lutherus lo-  
 » quitur) modum ostendere voluisse, quò Deus efficere possit, vt  
 » Christus simul in cœlo & in terra sua Humanitate præsens sit:]  
 » nequaquam negaui, Lutherum præter hoc, ex iisdem articulis  
 » euicisse, quòd Deus effecerit, vt Christus Humanitate sua actu  
 » præsens sit Eucharistia & omnibus creaturis. Tua ergo corre-  
 » ctione supersedere potuisses.

268. Quan-



268. Quando præterea scribo: [Sacramentalem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna omninò præsupponere personalem totius Christi in Ecclesia præsentiam:] hoc volo, quòd Christus sua Humanitate etiam ante & extra actionem Cœnæ Ecclesiæ suæ præsens sit: quia hæc Humanitas assumpta fit in communionem personæ & gloriæ Dei: quæ communicatio sine ista præsentia personali consistere non potest. Huic accedit deinde ex singulari Christi ordinatione præsentia Sacramentalis, quæ definitur peculiari quadam ratione corporis & sanguinis Christi, quæ hæc cum pane & vino benedicto in cibum & potum spirituales communicantibus distribuuntur, & ore sumuntur.

Præsentia Sacramentalis.

269. Hanc Sacramentalem præsentiam, quia Sacramentalem, tantum ex verbis institutionis probandam esse, & nos cum autoribus Apologiæ Concordiæ profiteamur.

270. Estque putidum commentum, quòd hoc loco Busæus discrimen fingit inter præsentiam corporis Christi Sacramentalem, qua Sacramentalis est, & inter realem præsentiam corporis Christi in Cœna, dum scribit: [Autores Apologiæ Concordiæ, cap. 7. fol. 145. & cap. 12. fol. 198. 199. contra Calvinistas Neustadianos contendere, in solis verbis institutionis sufficiens fundamentum esse, NON AD probandam PRÆSENTIAM Sacramentalem, qua Sacramentalis est, sed PRÆSENTIAM REALEM corporis Christi in Cœna.] Quæro autem, ubi Busæus in Apologia hoc suum figmentum legerit? vel unde probare possit, Autores istos distinguere inter Sacramentalem præsentiam, (qualis à nobis describitur) & inter præsentiam realem corporis Christi IN CŒNA. Nam locis citatis nihil tale reperitur. Suntque nobis ista planè idem.

Num. 142.

271. Dicit: [Nec Calvinistas Sacramentalem præsentiam infitari:] sed mentitur cum illis. Scit enim, ipsos nullam substantialem & Sacramentalem præsentiam corporis Christi in Cœna statuere: sed nuda symbola suis obtrudere: quæ corpus & sanguinem Christi, ab actione Cœnæ (quæ in terra fit) longissimè in cœlo supremo (ipsorum opinione) remota, significant.



Delirium quorundam de descensu corporis Christi in Cœnam, & eiusdem in cœlum reditu.

Num. 143.

Glossa Decreti, de raptu corporis Christi in cœlum.

Num. 144.

272. Delirium de descensu corporis Christi in Cœnam, & eiusdem in cœlum reditu : nec solis, nec omnibus Papistis, sed alijs quoq; phanaticis impostoribus, qui præsentiam Christi Homini in terris negant, & tamen præsentiam substantialem corporis Christi in Cœna cum Luthero statuere & docere videri volunt, adscribo.

273. Neque hoc de tuis tuo more mentitus sum. Quis enim nisi excors credat, glossam hanc cap. de tribus gradibus, dist. 2. de consecr. [Certum est, quòd species, quàm citò dentibus teruntur, tam citò in cœlum rapitur corpus Christi:] sine approbatione Doctorum Iuris Canonici (è quibus plures Theologi, & viri Ecclesiastici fuerunt) tanti precij & momenti libro additam, sine ijs publicatam, & per plures annos tanquam Authenticam cum ipso Decreto propagatam fuisse? Et, si Doctoribus ex professo Theologis glossa ista displicuit: cur eam non statim improbarunt, & expungi curarunt? Sic factum fuisset, vt Gregorius 13. aliquo labore subleuatus, Calendario suo perficiendo diligentius inuigilare potuisset.

274. Fraudulenter autè hîc agit Busæus, dum scribit: [Toto cœlo me errare, & M V L T A S H A C T E N V S G L O S S A S Decreto Gratiani insertas fuisse, quas Pontificij Doctores non approbarint.] Etsi enim Nouitij Doctores, qui tempore reuelati Antichristi vixerunt, & de istis absurditatibus à Nostri admoniti sunt, eas non probarunt: nō tamen hinc sequitur, quòd veteribus etiam, quorum tempore insertæ sunt, displicuerint.

275. Nec in meo Exemplari, anno 1516. excuso, quicquam ad marginem (de quo Busæus monet) annotatum est, quòd nimirum impropria locutio sit: [in cœlum rapitur.] Vnde liquet, quòd isto tempore glossa hæc Pontificijs Doctorib. adhuc probata fuerit: donec posteris annis Pontifex Gregorius 13. de quibusdam absurditatibus ex Nostrorum Scriptis admonitus, emendationem instituit.

276. Cæterum Busæo gratias habemus, quòd ipse à mendacio me vindicat: nec obscure fatetur, se per mendacium mendacij nomine me traduxisse. Sic enim scribit: [Vti improprie locutiones multæ sunt IN PATRIBVS VETERIBVS, eiusdem

dem generis: vt dum consecratione in Eucharistia dicunt, corpus Christi creari, confici, formari, consumi, **A D V O C E M** Sacerdotis de **C O E L O D E S C E N D E R E .**] Si ergo, ipso confitente, quidam ex Patrib. veteribus dixerunt: [Corpus Christi ad vocem Sacerdotis de cœlo descendere: nec glossa ista marginalis à veteribus improbata aut sublata fuit:] quomodo non risu dignum est, quod Iesuita gannit: [inconsonum & derisibile esse, S. Theologiæ Professore de Iuristarum glossulis disceptare.]

277. Sicut autem hætenus putida mendacia, eaque vix numerabilia eructavit: ita hoc non **V E R I S S I M E** (vt falsò gloriatur) sed vanissimè ex Apologetico repetit: [In hac cõtrouersia non quorundam Pontificiorum, sed Vbiquistarum, nempe nostram, & autorum Apologiæ deliram esse opinionem. Notam quidem: quòd per Vbiquitariam præsentiam totius Immanuelis, potiùs aboleatur, quàm statuatur præsentia corporis Christi in Cœna.]

278. Quemadmodum enim Omnipræsentia Spiritus sancti non impediuit præsentiam ipsius visibilem, qua super Christum in specie corporali columbæ descendit: & sicut Omnipræsentia S. Trinitatis non abolet peculiarem istum modum præsentia, quo pijs & fidelibus adest, eisque inhabitat: ita nec maiestas Omnipræsentia impedit, quò minùs Christus suo corpore & sanguine modo singulari in Cœna S. sit.

Omnipræsentia Christi Hominis præsentiam Sacramentalem non aboleri.

279. Nec tantùm autores Apologiæ, sed nos etiam cum ipsis, modum præsentia in Cœna, ignotum, diuinum, supernaturalem, & menti humanæ incomprehensibilem dicimus.

280. Quòd verò **O M N I S** retrò **A N T I Q V I T A S** ex Scripturis diuinis eum **C L A R I S S I M E** cognouerit: putre mendacium est. Sicut enim Sacramentum Cœnæ, tremendum, venerandum, planeque diuinum mysterium esse à sanctis Patribus perhibetur: ita quoque modus præsentia corporis Christi mysticus planè, nobisq; incomprehensibilis est: quem Orthodoxi non cognoscere præsumserunt: sed eum suspicere, venerari, proque hoc mysterio, salutem mortalium commodanti, Deo gratias immortales agere, didicerunt.

281. Ex his nunc vltro, citroque allatis, vanitas Bufæi clarissimè patescit, scribentis: [Se hactenus responsione perspicua demonstrasse, tum Assertionem meam, tum Disputationem primam contra primum Thesum suarum caput institutum, ex puris putis mendacijs & erroribus fuisse cõtextas.] Hoc ipsum autem de ipsius Disputatione, eiusque Apologia verissimè dici, Lector ex præsentis refutatione cognoscere, indeque iudicium infallibile sumere potest, in cæteris quoque capitibus Disputationis Iesuiticæ, eorumque Apologia, præter mendacia, errores, calumnias, strophas, & deprauationes, contineri nihil.

282. Et quia veritati multis nominibus etiam contra conscientiam (nisi totus excæcatus sit) vim fecit, ægrè ferre non debet, quòd ipsum, sociosque impietatis conuenientibus epithetis, ad exemplum Christi, notauit; vt agnosci & caueri possint.

283. Nec quicquam ad ipsos vel Augustini, vel Christi dicta pertinent: quibus veræ Ecclesiæ membra, cum iniuriam, persecutionem, conuicia, & maledicta, præter meritum, propter Christum patiuntur, se solari possunt. Iesuitis verò nulla pars & communio cum Christo Iesu est: quamuis per summum ludibrium, (quod detestandum) de ipsius societate gloriantur: cum potius Iudæ proditoris, aut aliorum perduellium Christi socij dici debeant, quandoquidem personam ipsius discerpant, officium humanis meritis conuellant; & Diuinitatem ab eo auellentes eneruent, ac insuper gloriam ipsius diuinam fœdisimè conspuant, & conculcent.

284. Denique, vt Iebusæus vbique sui similis, id est, impietatis, errorum, blasphemiarum, & Idololatriæ patronus maneat, ac odiū suum insatiabile erga Christum hominem ostendat; sub finem Scripti sui, non iuxta Deum socio Iesu, non Agno, qui occisus est, & redemit nos per sanguinem suum, laudem, gratiarum actionem, & honorem dicit: sed nudam creaturam,

turam, virginem Mariam, (quæ licet laude dignissima, honore tamen longè infra Deum & Filium suum Iesum residet) in despectum Christi, laudem tribuendo connumerat DEO ingratisimus & turpissimus Idololatra.

## F I N I S.

Pater omne Iudicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Ioan. 5.

Omnem creaturam, quæ in cælo est, & quæ super terram, & quæ sub terra, & in mari, audiui dicentem: (præter Iesuitas & Calvinistas) Sediti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum, Amen. Apoc. 5.

## Errata.

Thef. 39. lini. 3. lege scripsi. Thef. 59. l. 1. dominio. pag. 15. l. 4. idemq; Christus. Thef. 84. l. penul. abduci. Thef. 85. l. vlt. ? Thef. 98. l. vlt. ostendant. Thef. 156. l. 5. conditorem. Thef. 163. l. 2. adorandam. Thef. 173. l. 3. quia. Thef. 175. l. vlt. Deus fieri. Thef. 186. l. 1. lego. Thef. 195. l. 3. viuificantem & Dominum de cælo, pag. 50. l. 3. hoc videlicet est, &c. Thef. 230. l. 4. humanitate dante. Thef. 260. l. 4. sed. Thef. 263. l. 8. aut.

...entium; ...  
...et ...  
...in ...  
...et ...

F I N I S

...Pater ...  
...qui non ...  
...honorat ...

...et ...  
...in ...  
...et ...

ET

...et ...  
...in ...  
...et ...

94 A 7344

ULB Halle 3  
000 913 952




So.

Vb17

Mi. 70









10

Refutatio  
ERRORVM,  
ABSURDITATVM,  
MENDACIORVM, ET DEPRAVA-  
TIONVM, A IOANNE BVSE O, IESVITA  
Moguntino, vanissimè oppositarum STEPHANI GERLA-  
CHII, Doctoris & Professoris Theologi in Academia  
Tubingensi, Disputationi I. de Per-  
sona Christi:

*Quam, Divina adiutus Gratia:*

*SVB PRAESIDIO AVTORIS,  
PVLICE DEFENDET,  
18. Augusti, loco consueto,*

M. GEORGIUS FLECKIVS, S. THEO-  
LOGIAE CANDIDATVS.



T V B I N G A E  
*Excudebat Georgius Gruppenbachius,*  
ANNO M. D. XCII.

13-9

